


Ugarte 21/177

Coleccion de Actores Casticos

3.

14023
—
dey 1847

7126




247-1354

24-5^a (iii)

NOVÍSIMA COLECCION
DE PIEZAS ESCOGIDAS
DE LOS CLÁSICOS LATINOS.

4126



NOVÍSIMA COLECCION
DE PIEZAS ESCOGIDAS
DE LOS CLASICOS LATINOS,

para uso de los jóvenes

QUE SE DEDICAN AL ESTUDIO DEL LATIN,

ORDENADAS Y COMENTADAS POR

DON SATURNINO FERNANDEZ,

Catedrático que fué de Latin y Griego, hoy de Historia de
España en el Instituto de San Isidro de Madrid,

Y POR

D. SATURNINO FERNANDEZ DE VELASCO,

Licenciado en Derecho,
seccion de civil y canónico, Doctor en Filosofía y Letras,
y Catedrático numerario de Estudios críticos
sobre los AA. griegos en la Universidad de Sevilla.

~~~~~  
**LIBRO III.**

—————  
**PRIMERA EDICION.**  
—————

**MADRID.**

Imprenta de Manuel Minuesa,  
calle de Juanelo, núm. 49.

—  
1872.



*Es propiedad de los autores, quienes perseguirán ante la ley  
al que la reimprima sin su consentimiento.*

## PRÓLOGO.

---

Al publicar en años pasados el tomo primero de nuestra Coleccion de AA. clásicos latinos, con tanta benevolencia juzgada, y tan deferentemente recibida por muchísimos de nuestros dignos profesores, exponíamos en su prólogo la marcha que en ella nos proponíamos seguir.

Consecuentes en nuestro propósito, al dar hoy á luz el libro tercero, comprensivo de las materias que pueden traducirse en el curso de perfeccion de latin, diremos solamente, que nuestro principal objeto ha sido presentar, en correcto y ordenado cuadro, la inmediata y perfecta aplicacion de los preceptos de la Retórica y Poética á los modelos de todos géneros entresacados de las obras, con que se honra, y nos ha legado la antigüedad clásica.

En su exposicion, amena por su variedad, seguimos el mismo graduado orden que en los libros anteriores;

habiendo consultado para la comprobacion y correccion de los textos las mejores ediciones de cada uno de ellos, y en especial, la publicada en París bajo la direccion del Inspector general de enseñanza M. Nisard, sábio profesor de la Facultad de Letras, y crítico eminente.


Réstanos para concluir dejar consignado, que en nuestro vehemente deseo de ser útiles á la juventud dedicada á estos estudios, y á la que consagramos nuestros desvelos, acogeremos gustosos cualquiera advertencia encaminada á hacer más provechoso este trabajo.




---

---

# PRIMERA PARTE.



## ESCRITOS EN PROSA.



### ORACION

DE MARCO TULIO CICERON EN DEFENSA DE Q. LIGARIO.

---

#### THEMA I.

Ciceron defiende á Quinto Ligario, acusado por Tuberon ante César, de haber usurpado el gobierno de Africa. Comienza el exordio con graciosa ironía, poniendo de mala fé con el César al acusador.

Novum crimen, C. Cæsar, et ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse: idque C. Pansa, præstanti vir ingenio, fretus fortasse ea familiaritate, quæ est ei tecum, ausus est confiteri. Itaque quò me vertam, nescio. Paratus enim veneram, quum tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses, ut ignoratione

tua ad hominis miseri salutem abuterer. Sed quoniam diligentiam inimici investigatum est id, quod latebat, confitendum est, ut opinor, praesertim quum meus necessarius C. Pansa fecerit, ut id jam integrum non esset; omissaque controversia, omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est, quam plurimi sunt conservati, quum a te non liberationem culpae, sed errati veniam impetravissent.

Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum; sed tamen hoc confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.

## THEMA II.

Antes de declararse la guerra contra César, Ligario vino al Africa, donde vive con singular modestia. Encendida la guerra, procede en todo con justicia; y si se detuvo en la provincia, fué por condescender con muchos que consideraban necesaria su presencia.

Q. enim Ligarius, quum esset nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio profectus est: qua in legatione et civibus, et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provinciam satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Itaque Q. Ligarius, quum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus: cui sic praefuit in pace, ut et civibus, et sociis gratissima esset ejus integritas, et fides.

Bellum subito exarsit: quod, qui erant in

Africa, antè audièrunt geri, quàm parari. Quo audito, partim cupiditate inconsiderata, partim cæco quodam timore, primò salutis, post etiam studii sui quærebant aliquem ducem: quum Ligarius domum spectans, et ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Attius Varus, qui prætor Africam obtinuerat, Uticam venit: ad eum statim concursus est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitæ, nullo publico consilio, deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paulum adventu Vari conquievit.

Adhuc, C. Cæsar, Q. Ligarius omni culpa vacat. Domo est egressus non modò nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certè animum tuum non debet offendere. Num igitur remansio? Multò minus. Nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam. Ergo hæc duo tempora carent crimine: unum, quum est legatus profectus: alterum, quum efflagitatus à provincia, præpositus Africæ est.

### THEMA III.

Ligario se quedó en Africa á pesar suyo; y en esto no pudo ofender al César, cuya clemencia ensalza el orador.

Tertium est tempus, quo post adventum Vari in Africa restitit. Quod si est crimosum, neces-

sitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset illinc ullo modo evadere, Uticæ potius, quàm Romæ; cum P. Attio, quàm cum concordissimis fratribus; cum alienis esse, quàm cum suis maluisset? Quum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset, propter incredibilem quemdam fratrum amorem, hic æquo animo esse potuit belli discidio distractus à fratribus?

Nullum igitur habes, Cæsar, adhuc in Q. Ligario signum alienæ à te voluntatis: cujus ego causam animadvertē, quæso, qua fide defendam, quum prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse; nec tuas tacitas cogitationes extimescit; nec, quid tibi, de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat.

#### THEMA IV.

Ciceron defiende con valor la inocencia de Ligario, confesando su propia culpa, al paso que alaba la benignidad del César, contra quien el mismo Tuberon tomó las armas.

Vide, quàm non reformidem: vide, quanta lux liberalitatis, et sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero, voce contendam, ut hoc populus romanus exaudiat. Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum, qui, quum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, reipublicæ

reddidit: qui ad me ex Ægipto litteras misit, ut essem idem, qui fuissem; qui quum ipse imperator in toto imperio populi romani unus esset, esse me alterum passus est; à quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fascas laureatos tenui, quoad tenendos putavi; qui mihi tum denique se salutem putavit dare, si eam nullis spoliata ornamentis dedisset.

Vide, quæso, Tubero, ut, qui de meo factonon dubitem dicere, de Ligario non audeam confiteri. Atque hæc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, quum de se eadem dicerem, ignosceret: cujus ego industriæ, gloriæque faveo, vel propter propinquam cognationem, vel quòd ejus ingenio studiisque delector, vel quòd laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quæro, quis putet esse crimen, fuisse in Africa Ligarium? Nempe is, qui et ipse in eadem Africa esse voluit et prohibitum se à Ligario queritur, et certè contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. Quid enim, Tubero, districtus ille tuus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo: commoveri videtur adolescens: ad me revertar. Iisdem in armis fui.

#### THEMA V.

Hace ver la imprudencia de Tuberon, que pretende se castigue en Ligario una culpa inferior á la suya, perdonada ya por la clemencia de César.

Quid autem aliud egimus, Tubero, nisi ut,

quod hic potest, nos possemus? Quorum igitur impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atque in hac causa nonnihil equidem, Tubero, tuam, sed multò magis patris tui prudentiam desidero: quòd homo, cùm ingenio, tùm etiam doctrinâ excellens, genus hoc causæ quod esset, non viderit. Nam si vidisset, quovis profectò, quàm isto modo, à te agi maluisset. Arguis fatentem. Non est satis. Accusas eum, qui causam habet, aut, ut ego dico, meliorem, quàm tu; aut, ut tu vis, parem.

Hæc non modò mirabilia sunt, sed prodigii simile est quod dicam. Non habet eam vim ista accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Hoc egit civis romanus ante te nemo. Externi isti sunt mores. Usque ad sanguinem incitari solet odium aut levium Græcorum, aut immanium barbarorum. Nam quid aliud agis? Ut Romæ ne sit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Brocho, avunculo suo, ne cum ejus filio, consobrino suo, ne nobiscum vivat? ne sit in patria? Num est? num potest magis carere his omnibus, quam caret? Italiâ prohibetur, exulat. Non tu ergo hunc patriâ privare, quâ caret, sed vitâ, vis. At istud ne apud eum quidem dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte multabat, quisquam egit isto modo. Ipse jubebat occidi, nullo postulante: præmiis etiam invitabat. Quæ tamen crudelitas ab hoc eodem aliquot annis post, quem tu nunc crudelem esse vis, vindicta est.

THEMA VI.

Hæc reflexiones contra la crueldad del acusador, quien no satisfecho con el destierro de Ligario, desea, al parecer, su muerte.

Ego verò istud non postulo, inquires. Ita mehercule existimo, Tubero. Novi enim te, novi patrem, novi domum, nomenque vestrum: studia denique generis ac familiæ vestræ, virtutis, humanitatis, doctrinæ, plurimarum artium atque optimarum, nota sunt mihi omnia. Itaque certò scio, vos non petere sanguinem; sed parùm attenditis. Res enim eò spectat, ut eâ pœnâ, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini esse contenti. Quæ est igitur alia, præter mortem? Si enim in exsilio est, sicuti est, quid amplius postulas? An, ne ignoscatur? Hoc verò multò acerbius, multoque est durius. Quod nos domi petimus, precibus et lacrimis, prostrati ad pedes, non tam nostræ causæ fidentes, quàm hujus humanitati, id ne impetremus, pugnabis? et in nostrum fletum irrumpes? et nos jacentes ad pedes supplicum voce prohibebis?

Si, quum hoc domi faceremus, quod et fecimus, et, ut spero, non frustrà fecimus, tu repente irrupisses, et clamare cœpisses, C. Cæsar, cave ignoscas, cave te fratrum, pro fratris salute obsecrantium, misereatur: nonne omnem humanitatem exuisses? Quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id te in foro oppugnare? Et in tali miseria multorum, perfugium misericordiæ tollere?

THEMA VII.

Ciceron ensalza la clemencia de César: indica un medio legal de salvar al acusado, y hace ver cuán inhumano sería refutar una defensa tan prudente como justa.

Dicam planè, C. Cæsar, quod sentio. Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantum tu per te, per te, inquam, obtines, (intelligo quid loquar) acerbissimo luctu redundaret ista victoria. Quàm multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent, quum etiam de victis reperiantur? quàm multi, qui quum à te nemini ignosci vellent, impedirent clementiam tuam, quum etiam ii, quibus ipse ignovisti, nolint te in alios esse misericordem?

Quòd si probare Cæsari possemus, in Africa Ligarium omninò non fuisse: si honesto et misericordi mendacio saluti civi calamitoso esse vellemus: tamen hominis non esset, in tanto discrimine et periculo civis refellere et coarguere nostrum mendacium: et, si esset alicujus, ejus certè non esset, qui in eadem causa et fortuna fuisset. Sed tamen aliud est errare Cæsarem nolle, aliud nolle misereri. Tu diceres: cave, Cæsar, credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te. Nunc quid dicis? cave ignoscas. Hæcne hominis ad hominem vox est? quâ qui apud te, C. Cæsar, utetur, suam citiùs abjiciet humanitatem, quàm extorquebit tuam.



THEMA VIII.

Expone que no debe tenerse por crimen la falta de Ligario, tan solo por la acusacion de uno, contra el dictámen de muchos.

Ac primus aditus, et postulatio Tuberonis, hæc, ut opinor, fuit, velle se de Q. Ligarii scelere dicere. Non dubito, quin admiratus sis, vel quòd de nullo alio quisquam, vel quòd is, qui in eadem causa fuisset, vel quid novi facinoris afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. Alii errorem appellant: alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui gravissimè, temeritatem; scelus, præter te, adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium et verum nomen nostri mali quærat, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, et improvidas hominum mentes occupavisse: ut nemo mirari debeat humana consilia divinâ necessitate esse superata.

Liceat esse miseros; quamquam hõc victore esse non possumus. Sed non loquor de nobis: de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces; sceleris verò crimine, furoris, parricidii, liceat Cn. Pompejo mortuo, liceat multis aliis carere. Quando hoc quisquam ex te Cæsar audivit? aut tua quid aliud arma voluerunt, nisi à te contumeliam propulsare? quid egit tuus ille invictus exercitus, nisi ut suum jus tueretur et dignitatem tuam? Quid? tu quum pacem esse cupiebas, idne agebas, ut tibi cum sceleratis, an ut cum bonis civibus conveniret?

THEMA IX.

Ensalza la benignidad de César, y demuestra que la culpa de Ligario consistió en obedecer al Senado, cuando era necesario respetar su autoridad.

Mihi verò, Cæsar, tua in me maxima merita tanta certè non viderentur, si me, ut sceleratum, à te conservatum putarem. Quomodò autem tu de republica bene meritus esses, si tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses? secessionem tu illam existimavisti, Cæsar, initio, non bellum: non hostile odium, sed civile dissidium: utrisque cupientibus rempublicam salvam, sed partim consiliis, partim studiis à communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat penè par: non par fortasse eorum, qui sequebantur: causa tum dubia, quòd erat aliquid in utraque parte, quod probari posset: nunc melior certè ea judicanda est, quam etiam dii adjuverunt. Cognita verò clementià tuà, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus?

Sed, ut omittamus communem causam, veniamus ad nostram: utrùm tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligario ex Africa exire, an vobis in Africam non venire? Poteramusne, inquis, quum senatus censuisset? Si me consulis, nullo modo. Sed tamen Ligarium senatus idem legaverat. Atque ille eo tempore paruit, quum parere senatui necesse erat: vos tum paruistis, quum paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? minimè verò. Neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiæ, disciplinæ. Sed hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehendatis.

7

THEMA X.

Expone la conducta de Tuberon euando le cupo la suerte de ir al Africa. Llega tarde, estando ocupada por otros. De aquí proviene la acusacion contra Ligario, ó sea su enojo, aunque infundado.

Tuberonis sors coniecta est ex senatusconsulto, quum ipse non adesset, morbo etiam impediretur: statuerat se excusare. Hæc ego novi propter omnes necessitudines, quæ mihi sunt cum L. Tuberone. Domi unà eruditi, militiæ contubernales, pòst affines, in omni denique vita familiares. Magnum etiam vinculum, quòd iisdem studiis semper usi sumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluisse. Sed ita quidam agebant, ita reipublicæ sanctissimum nomen opponebant, ut, etiam si aliter sentiret, verborum tamen ipsorum pondus sustinere non posset.

Cessit auctoritatì amplissimi viri, vel potiùs paruit. Unà est profectus cum iis, quorum erat una causa. Tardiùs iter fecit. Itaque in Africam venit jam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potiùs. Nam si crimen est ullum, prohibere illum voluisse: non minùs magnum est, vos Africam, omnium provinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere voluisse, quàm aliquem se imperatorem esse maluisse. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus se imperium habere dicebat; fasces certè habebat. Sed quoquo modo sese illud habet, hæc querela vestra, Tubero, quid valet? Recepti in provinciam non sumus. Quid si essetis? Cæsarine eam tradituri fuissetis, an contra Cæsarem retenturi?

THEMA XI.

Hácense cargos á Tuberon, que se queja de no haberle permitido hacer en favor de César lo que nunca pensó, puesto que, echado de Africa, sigue el partido de Pompeyo.

Vide, quid licentiæ, Cæsar, nobis tua liberalitas det, vel potiùs audaciæ. Si responderit Tubero, Africam, quò senatus eum, sorsque miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse: non dubitabo apud ipsum te, cujus id eum facere interfuit, gravissimis verbis ejus consilium reprehendere. Non enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiam probata. Sed jam hoc totum omitto, non tam ut ne offendam tuas patientissimas aures, quàm ne Tubero, quod nunquam cogitavit, facturus fuisse videatur. Veniebatis igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriæ maximè infestam, in qua erat rex potentissimus, inimicus huic causæ; aliena voluntas, conventus firmi, atque magni. Quæro, quid facturi fuissetis? Quamquam, quid facturi fueritis, non dubitem, quum videam, quid feceritis.

Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, et prohibiti, ut perhibetis, summa cum injuria. Quomodo id tulistis? acceptæ injuriæ querelam ad quem detulistis? nempe ad eum, cujus auctoritatem secuti, in societatem belli veneratis. Quòd si Cæsaris causâ in provinciam veniebatis, ad eum profectò exclusi provinciâ venissetis. Venistis ad Pompejum. Quæ est ergo hæc apud Cæsarem querela, quum eum accusatis, à quo queramini vos prohibitos contra Cæsarem bellum gerere? Atque in hoc quidem vel cum men-

dacio, si vultis, gloriemini per me licet, vos provinciam fuisse Cæsari tradituros, nisi à Varo, et à quibusdam aliis prohibiti essetis. Ego autem confitebor, culpam esse Ligarii, qui vos tantæ laudis occasione privaverit.

## THEMA XII.

Hace reflexiones sobre la constancia de Tuberon en seguir la causa abrazada, á pesar de los desaires recibidos: su vuelta al campamento de Pompeyo.

Sed vide, quæso, C. Cæsar, constantiam ornatissimi viri, L. Tuberonis: quam ego quamvis ipse probarem, ut probó, tamen non commemorarem, nisi à te cognovissem in primis eam virtutem solere laudari. Quæ fuit igitur unquam in ullo homine tanta constantia? constantiam dico? nescio, an melius patientiam possim dicere. Quotus enim istud quisque fecisset, ut, à quibus in dissensione civili non esset receptus, essetque etiam cum crudelitate rejectus, ad eos ipsos rediret? Magni cujusdam animi, atque ejus viri est, quem de suscepta causa, propositaque sententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum posset depellere.

Ut enim cetera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos, nobilitas, splendor, ingenium; quæ nequaquam fuerunt: hoc certè præcipuum Tuberonis fuit, quod justo cum imperio ex senatusconsulto in provinciam suam venerat. Hinc prohibitus, non ad Cæsarem, ne iratus, non domum, ne iners, non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur; in Macedoniam ad Cn. Pompeji castra venit, in eam ipsam causam, à qua erat rejectus cum injuria.

THEMA XIII.

Afecciones que ocupaban su ánimo. Extremos á que conducia una guerra inevitable, por más que todos deseasen la paz.

Quid? quum ista res nihil commovisset ejus animum, ad quem veneratis, languidiore, credo, studio in causa fuistis. Tantummodò in præsiidiis eratis; animi verò à causa abhorrebant. An, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quàm in reliquis, omnes vincendi studio tenebamur? Pacis equidem semper auctor fui; sed tum serò. Erat enim amentis, quum aciem videres, de pace cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus; tu certè præcipuè, qui in eum locum venisses, ubi tibi esset pereundum, nisi vicisses; quamquam, ut nunc se res habet, non dubito, quin hanc salutem anteponas illi victoriæ.

THEMA XIV.

Dirigese Ciceron ya al César, ya contra Tuberon, con suposiciones alusivas á las circunstancias.

Hæc ego non dicerem, Tubero, si aut vos constantiæ vestræ, aut Cæsarem beneficii sui pœniteret. Nunc quæro, utrùm vestras injurias, an reipublicæ persequamini. Si reipublicæ, quid de vestra in ea causa perseverantia respondebitis? si vestras, videte, ne erretis, qui Cæsarem vestris inimicis iratum fore putetis, quum ignoverit suis. Itaque num tibi videor, Cæsar, in causa Ligarii occupatus esse? num de ejus facto dicere? Quidquid dixi, ad unam summam referri volo vel

humanitatis, vel clementiæ, vel misericordiæ tuæ.

Causas, Cæsar, egi multas, et quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certè nunquam hoc modo, *Ignoscite, iudices; erravit; lapsus est, non putavit; si unquam posthac.* Ad parentem sic agi solet. Ad iudices, *Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen.* Dic, te, Cæsar, de facto Ligarii iudicem esse, quibus in præsidiis fuerit, quære. Taceo. Ne hæc quidem colligo, quæ fortasse valerent etiam apud iudicem. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppressus, in eo ipso, non acerbus, tum etiam fuit totus animo et studio tuus.

#### THEMA XV.

El orador habla á Cesar como á un padre, exponiendo los motivos y razones en que se funda para esperar de su clemencia el perdon de Ligario.

Ad iudicem sic agi solet. Sed ego ad patrem loquor: Erravi; temerè feci; pœnitet, ad clementiam tuam confugio; delicti veniam peto; ut ignoscas oro. Si nemo impetravit, arroganter; si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti. An sperandi Ligario causa non sit, quum mihi apud te sit locus etiam pro altero deprecandi?

Quamquam neque in hac oratione spes est posita causæ, nec in eorum studiis, qui à te pro Ligario petunt, tui necessarii. Vidi enim et cognovi, quid maximè spectares, quum pro alicujus salute multi laborarent; causas apud te rogantium gratiosiores esse, quàm vultus; neque te spectare, quam tuus esset necessarius is, qui te oraret, sed quàm illius, pro quo laboraret. Itaque tribuis tu

quidem tuis ita multa, ut mihi beatiore*s* illi esse videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quàm tu ipse, qui illis tan multa concedis. Sed video tamen, apud te causas, ut dixi, rogantium valere plus, quàm preces; ab iisque te moveri maximè, quorum justissimum dolorem videas in petendo.

#### THEMA XVI.

Hace ver cuán acceptable será esta gracia á los tres Ligarios, y á muchos romanos distinguidos, que la piden con humanidad, y la esperan con gran confianza.

In Q. Ligario conservando multis tu quidem gratum facies necessariis tuis; sed hoc, quæso, considera, quod soles. Possum fortissimos viros, Sabinos, tibi probatissimos; totumque agrum Sabinum, florem Italiæ, ac robur reipublicæ, proponere. Nosti optimè homines; animadvertet horum omnium mœstitiam et dolorem. Hujus T. Brocchi, de quo non dubito, quid existimes, lacrimas squaloremque ipsius, et filii vides.

Quid de fratribus dicam? Noli, Cæsar, putare, de unius capite nos agere. Aut tres tibi Ligarii in civitate retinendi sunt, aut tres ex civitate exterminandi. Quodvis exilium his est optatius, quàm patria, quàm domus, quàm dii penates, uno illo exulante. Si fraternè, si piè, si cum dolore faciunt, moveant te horum lacrimæ, moveat pietas, moveat germanitas; valeat tua vox illa, quæ vicit. Te enim dicere audiebamus, nos, omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent; te, omnes, qui contra te non essent, tuos. Videsne igitur hunc splendorem, omnem hanc Broccho-



rum domum, hunc L. Marcium, C. Cæsetium, L. Corfidium, hosce omnes equites romanos, qui adsunt veste mutata, non solùm notos tibi, verùm etiam probatos viros, qui tecum fuerunt? Atque his maximè irascebamur, et hos requirebamus, et his nonnulli etiam minabantur. Conserua igitur tuis suos, ut, quemadmodum cetera, quæ dicta sunt à te, sic hoc verissimum repariatur.

### THEMA XVII.

Describe el amor fraternal y unidad de voluntades de los tres Ligarios: recuerda los servicios de T. Ligario para con César; y, confiado en ellos y en su bondad, le ruega perdone á su hermano.

Quòd si penitùs perspicere posses concordiam Ligariorum, omnes fratres tecum iudicares fuisse. An potest quisquam dubitare, quin, si Q. Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? Quis est, qui horum consensum conspirantem et penè conflatum, in hac propè æqualitate fraterna, non noverit? qui hoc non sentiat, quidvis prius futurum fuisse, quàm ut hi fratres diversas sententias fortunasque sequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt: tempestate abreptus est unus; qui, si consilio id fecisset, esset eorum similis, quos tu tamen salvos esse voluisti.

Sed ierit ad bellum: discesserit non à te solùm, verùm etiam à fratribus. Hi te orant tui. Equidem quum tuis omnibus negotiis interesses, memoriâ teneo, qualis T. Ligarius, quæstor urbanus fuerit erga te et dignitatem tuam. Sed parum est, me hoc meminisse: spero etiam te, qui oblivisci nihil soles, nisi injurias, quoniam hoc

est animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de hujus illo quæstoris officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam quæstoribus reminiscentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud (neque enim hæc divinabat), nisi ut tu eum tui studiosum, et bonum virum judicares, nunc à te supplex fratris salutem petit. Quam hujus admonitus officio, quum utrisque his dederes, tres fratres optimos et integerrimos, non solum sibi ipsos, neque his tot ac talibus viris, neque nobis necessariis suis, sed etiam reipublicæ condonaveris.

#### THEMA XVIII.

Si fué glorioso para César perdonar á M. Marcelo, no lo será ménos el perdonar á Ligario: así lo exige su buen natural y justificacion acreditada.

Fac igitur, quod de homine nobilissimo et clarissimo, M. Marcello, fecisti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis et huic omni frequentia probatissimis fratribus. Ut concessisti illum senatui, sic da hunc populo, cujus voluntatem carissiman semper habuisti. Et, si ille dies tibi gloriosissimus, populo romano gratissimus fuit, noli, obsecro, dubitari. C. Cæsar, similem illi gloriae laudem quam sæpissime quærere. Nihil est enim tam populare, quam bonitas; nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua majus, quam ut possis; nec natura tua melius, quam ut velis conservare quam plurimos.

30 Longiorem orationem causa forsitan postulat,

tua certè natura breviorẽ. Quare, quum utilius esse arbitrer, te ipsum, quàm aut me, aut quemquam loqui tecum, finem jam faciã: tantum te admonebo, si illi absenti salutem dederis, presentibus his omnibus te daturum.

## ORACION

EN FAVOR DE M. MARCELO.

---

### THEMA XIX.

Al mostrarse César inclinado á levantar el destierro de M. Marcelo, Ciceron vé en ello un motivo para romper su silencio, y desplega su acostumbrada elocuencia, elogiando las bondades de tan generoso libertador.

Diuurni silentii, patres conscripti, quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundiã, finem hodiernus dies attulit; idemque initium, quæ vellen, quæque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac penè divinam tacitus nullo modo præterire possum.

M. enim Marcello vobis, patres conscripti, reique publicæ reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem et auctoritatem, et vobis, et reipublicæ conservatam ac restitutam puto. Dolebam enim, patres conscripti, et vehementer angebar, quum viderem virum talem, qui in eadem

causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo æmulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum, quasi quodam socio à me, et comite distracto. Ergo et mihi meæ pristinae vitæ consuetudinem, C. Cæsar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni republica sperandum quasi signum aliquod sustulisti.

Intellectum est enim mihi quidem in multis, et maximè in me ipso, sed paulo antè omnibus, quum M. Marcellum senatui populoque romano concessisti, commemoratis præsertim offensionibus, te auctoritatem hujus ordinis dignitatemque reipublicæ tuis vel doloribus, vel suspensionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis vitæ antè actæ hodierno die maximun cepit, cum summo consensu senatûs, tum præterea judicio tuo gravissimo et maximo: ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, quum in accepto tanta sit gloria. Est verò fortunatus ille, cujus ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura sit, lætitia pervenerit. Quod ei quidem meritò, atque optimo jure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut ullo genere laudis præstantior?

## THEMA XX.

Las hazañas de César fueron tantas, que no pueden numerarse; y tan grandes, que excedieron en mucho á las de todos los demás generales.

Nullius tantum est flumen ingenii, nullius dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia, quæ, non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res

tuas gestas possit. Tamen affirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem eâ quam hodierno die consecutus es. Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri; nec verò disjunctissimas terras citiùs cujusquam passibus potuisse peragrari, quàm tuis, non dicam cursibus, sed victoriis illustratæ sunt.

Quæ quidem ego nisi tam magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia majora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriæ sint imperatorum. Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum juvant. Maximam verò partem quasi suo jure fortuna sibi vindicat; et quidquid est prosperè gestum, id penè omne ducit suum.

#### THEMA XXI.

La mayor de todas fué el vencerse á sí mismo, perdonando los contrarios y elevándolos á su anterior dignidad.

At verò hujus gloriæ, C. Cæsar, quam es paulo antè adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcumque est, quod certè maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista

laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, fortuna, in istius se societatem gloriæ non offert; tibi cedit; tuam esse totam et propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ et naturam, et conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico.

## THEMA XXII.

Los triunfos que César consiguió en la guerra; las alabanzas que por ellos mereció, y la fama de su clemencia, harán eterna su memoria.

Itaque, C. Cæsar, bellicæ tuæ laudes celebrantur illæ quidem non solùm nostris, sed penè omnium gentium literis atque linguis; neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodò, etiam quum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, et tubarum sono. At verò quum aliquid clementer, mansuetè, justè, moderatè, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, et in victoria, quæ naturâ insolens et

superba est, aut audimus, aut legimus: quo studio incendimur, non modò in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos sæpè, quos numquam vidimus, diligamus?

Te verò, quem præsentem intuemur, cujus mentem sensusque cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipublicæ fecerit, id esse saluum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? quâ benevolentia complectemur? Parietes, medius fidius, C. Cæsar, hujus curiæ, ut mihi videtur, tibi gratias agere gestiunt, quòd brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, et suis sedibus.

### THEMA XXIII.

El tiempo no podrá borrar jamás de la memoria el triunfo debido solamente al César, que en este dia mereció la mayor alabanza.

Equidem quum C. Marcelli, viri optimi, et commemorabili pietate præditi, lacrimas modò vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. Quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, jam ad paucos redactam, penè ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus jure antepones. Hæc enim res unius est propria C. Cæsar: ceteræ duce te gestæ, magnæ illæ quidem, sed tamen multo magnoque comitatu. Hujus autem rei tu idem et dux es, et comes: quæ quidem tanta est, ut trophæis, monumentisque tuis nulla unquam allatura sit finem ætas (nihil est enim opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat, et

consumat vetustas); at hæc tua justitia, et lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus.

Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium jam antè æquitate et misericordiâ viceras: hodierno verò die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio: ipsam victoriam vicisse videris, quum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remissisti. Nam quum ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissimus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus. Rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio visque devicta est.

#### THEMA XXIV.

La gracia concedida á Marcelo se extiende á muchos, que por ignorancia, ó falso temor, siguieron el partido de Pompeyo.

Atque hoc C. Cæsaris judicium, patres conscripti, quàm latè pateat, attendite: omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo reipublicæ misero funestoque compulsi, etsi aliquâ culpâ tenemur erroris humani, à scelere certè liberati sumus. Nam quum M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipublicæ Cæsar conservavit, memet mihi et item reipublicæ, nullo deprecante; reliquos amplissimos viros et sibi ipsis, et patriæ reddidit, quorum et frequentiam et dignitatem hoc ipso in consessu videtis: non ille hostes induxit in curiam; sed judicavit, à plerisque ignoratione potius, et falso atque inani metu, quàm cupiditate aut crudelitate civile bellum esse susceptum.



Quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendumque putavi, semperque dolui, non modò pacem, sed orationem etiam civium pacem efflagitantium, repudiari. Neque enim ego ulla, nec ulla unquam secutus sum arma civilia; semperque mea consilia pacis et togæ socia, non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum secutus privato officio, non publico; tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modò cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens tamquam ad interitum ruerem voluntarium.

#### THEMA XXV.

Prudencia de César en los asuntos de la guerra: su conformidad con los que procuraban la paz: testigos de su bondadoso comportamiento.

Quod quidem meum consilium minimè obscurum fuit. Nam et in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, et in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tam injustus rerum aestimator, qui dubitet, quæ Cæsaris voluntas de bello fuerit, quum pacis auctores conservandos statim censuerit, ceteris fuerit iratior. Atque id minùs mirum videretur fortasse tum, quum esset incertus exitus, et anceps fortuna belli: qui verò victor pacis auctores diligit, is profectò declarat, se maluisse non dimicare, quàm vincere.

Atque hujus quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, et quanto cum dolore vidi, quum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius vi-

ctoriæ ferocitatem extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Cæsar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. Non enim jam causæ sunt inter se, sed victoriæ comparandæ.

THEMA XXVI.

El orador felicita á César por el término victorioso de las batallas, y sentimiento de la sangre derramada. Le recuerda sus beneficios, y ruega que no cese de favorecer á los buenos.

Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam; gladium vaginâ vacuum in urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos Martis vis percudit, non ira victoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius verò partis, nihil amplius dicam, quàm id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modò armatis, sed interdum etiam otiosis minabantur; nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales, etiam si pœnas à populo romano ob aliquod delictum expetiverint, qui civile bellum tantum, et tam luctuosum excitaverint, vel placati jam, vel etiam satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris, et sapientiam contulisse.

Quare gaude tuo isto tam excellenti bono, et fruire cùm fortuna, et gloria, tum etiam naturâ, et moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus jucunditasque sapienti. Cetera quum tua recordabere, etsi persæpe virtuti, tamen plerumque felicitati tuæ congratulabere: de nobis, quos

in republica tecum simul salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari tua sapientia cogitabis; quæ non modò summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi et consilii dignitas, ut hæc à virtute donata, cetera à fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim aut pravitate aliqua lapsis, sed opinione officii, stultâ fortasse, certè non improbâ, et specie quadam reipublicæ. Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contraque summa laus, quòd plerique minimè timendum fuisse senserunt.

THEMA XXVII.

Procura desvanecer los temores de César, probando que todos le desean larga vida. Al propio tiempo le recomienda cautela y diligencia, porque de su vida pende la de muchos.

Nunc verò venio ad gravissimam querelam, et atrocissimam suspicionem tuam, quæ non tibi ipsi magis, quàm cum omnibus civibus, tum maximè nobis, qui à te conservati sumus, providenda est. Quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quàm parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? De tuisne? tametsi qui magis sunt tui, quàm quibus tu salutem insperantibus reddidisti? An ex eo numero, qui unà tecum fuerunt? Non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia

summa sit adeptus, hujus vitam non anteponat suæ. At, si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici? Qui? omnes enim, qui fuerunt, aut suâ pertinaciâ vitam amiserunt, aut tuâ misericordiâ retinuerunt: ut, aut nulli supersint de inimicis, aut, qui superfuerunt amicissimi sint.

Sed tamen, quum in animis hominum tantæ latebræ sint, et tanti recessus, augeamus sanè suspicionem tuam; simul enim augebimus et diligentiam. Nam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil unquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam, et ex unius tua vita pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, et incertos eventus valetudinis, et naturæ communis fragilitatem extimesco; doleoque, quum respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. Si verò ad humanos casus, incertosque eventus valetudinis, sceleris etiam accedat insidiarumque consensio, quem deum, si cupiat, opitulari posse reipublicæ credamus?

#### THEMA XXVIII.

Necesidad de reparar los males ocasionados por las guerras. Consideraciones sobre el desprecio de la muerte: César no debe pensar en ella, sino en consumir la obra comenzada.

Omnia sunt excitanda tibi, C. Cæsar, uni, quæ jacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, percussa atque prostrata: constituenda judicia, revocanda fides, comprimendæ libidines,

propaganda soboles; omnia, quæ dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore et armorum, quin quassata respublica, quicumque belli eventus fuisset, multa perderet et ornamenta dignitatis, et præsidia stabilitatis suæ; multaque uterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset. Quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt, quibus præter te mederi nemo potest.

Itaque illam tuam præclarissimam et sapientissimam vocem invitus audiui. «Satis diu vel naturæ vixi, vel gloriæ.» Satis, si ita vis, naturæ fortasse; addo etiam, si placet, gloriæ: at, quod maximum est, patriæ certè parum. Quare omitte, quæso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Sæpe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebrò dicere, satis te tibi vixisse. Credo: sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si tibi etiam soli natus esses. Nunc, quum omnium salutem civium cunctamque rempublicam res tuæ gestæ complexæ sint, tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris. Hic tu modum tuæ vitæ, non salute reipublicæ, sed æquitate animi definies?

THEMA XXIX.

No basta vencer al enemigo; es necesario asegurar el órden y tranquilidad pública. En esto ha de ocuparse César, si ha de conseguir la gloria de la inmortalidad.

Quid, si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est, cujus te esse avidissimum, quamvis sis sapiens,

non negabis? Parumne igitur, inquires, gloriam magnam relinquemus? Immò verò aliis, quamvis multis, satis; tibi uni parum. Quidquid enim est, quamvis amplum sit, id certè parum est tum, quum est aliquid amplius. Quòd si rerum tuarum immortalium, C. Cæsar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide, quæso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quàm gloriæ: si quidem gloria, est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.

Hæc igitur tibi reliqua pars est; hic restat actus; in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas, eaque tu in primis cum summa tranquillitate et otio perfruare: tum te, si voles, quum et patriæ, quod debes, solveris, et naturam ipsam expleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum; quod quum venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? Quamquam iste tuus animus nunquam his angustiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semperque immortalitatis amore flagravit.

### THEMA XXX.

Pretende el orador que César haga eterna su memoria, para que los siglos venideros celebren sus hazañas.

Nec verò hæc tua vita ducenda est, quæ corpore et spiritu continetur. Illa, inquam, illa vita est tua, Cæsar, quæ vigebit memoriâ seculorum

omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper tuebitur. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet: quæ quidem, quæ miretur, jam pridem multa habet; nunc, etiam quæ laudet, expectat.

Obstupescant posteri certè imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes, et legentes tuos. Sed, nisi hæc urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modò nomen tuum longè atque latè, sedem quidem stabilem, et domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, quum alii laudibus ad cælum res tuas gestas efferent, alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli civilis incendium salute patriæ restinxeris; ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam iudiciis, qui multis post seculis de te iudicabunt, et quidem haud scio, an incorruptius, quàm nos. Nam et sine amore, et sine cupiditate, et rursus sine odio, et sine invidia iudicabunt. Id autem etiam si tunc ad te, ut quidam falsò putant, non pertinebit, nunc certè pertinet esse te talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio.

THEMA XXXI.

Las victorias y equidad de César termina las disensiones civiles; todos le aconsejan que atienda á su conservacion, y le ofrecen su apoyo.

Diversæ voluntates civium fuerunt, distractæque sententiæ. Non enim consiliis solùm et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus.

Erat autem obscuritas quædam, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset; multi, quid sibi expediret; multi, quid deceret; nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta respublica est hoc misero fatalique bello: vicit is, qui non fortunâ inflammaret odium suum, sed bonitate leniret; neque omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exsilio, aut morte dignos judicaret. Arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt. Ingratus est injustusque civis, qui, armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum; ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, qui in causa animam profudit; quæ enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest.

Sed jam omnis fracta dissensio est armis, et extincta æquitate victoris: restat, ut omnes unum velint, qui modò habent aliquid non solum sapientiæ, sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Cæsar, salvo, et in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maximè usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salva esse volumus, et hortamur, et obsecramus, ut vitæ, ut salutis tuæ consulas; omnesque tibi, (ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio), quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modò excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus et corporum pollicemur.

#### THEMA XXXII.

El orador dá las gracias al César en nombre del Senado: testifica su agradecimiento por los beneficios que ha dispensado, y en particular, por el perdón concedido á M. Marcelo.

Sed ut, unde est orsa, in eodem terminetur



oratio, maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæsar; majores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt: quod ex omnium precibus et lacrimis sentire potuisti. Sed quia non est stantibus omnibus necesse dicere, à me certè dici volunt: cui necesse est quodammodo, et quòd volunt, et quòd decet, et quòd, M. Marcello à te huic ordini, populoque romano, et reipublicæ reddito, præcipuè id à me fieri debere intelligo. Nam lætari omnes, non ut de unius solùm, sed ut de communi omnium salute, sentio: quod autem summæ benevolentiae est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, præter eum quidem cederem nemini; quum id sollicitudine, curâ, labore tamdiu præstiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum; certè hoc tempore magnis curis, molestiis, doloribus liberatus; præstare debeo. Itaque, C. Cæsar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus à te non conservato solùm, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri jam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

#### THEMA XXXIII.

Modelo de un exordio ex abrupto tomado de la oracion primera de Ciceron contra Catilina.

Quousque tandem abutere Catilina, patientiâ nostrâ? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? Nihilne te nocturnum præsidium Palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatûs locus, nihil horum ora vultusque move-

runt? Patere tua consilia non sentis? constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?

O tempora, o mores! Senatus haec intelligit, consul videt; hic tamen vivit. Vivit? Imò verò etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem, viri fortes, satisfacere reipublicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus.

Ad mortem te, Catilina, duci, jussu consulis, jam pridem oportebat: in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An verò vir amplissimus P. Scipio, pontifex maximus, Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicae, privatus interfecit: Catilinam verò, orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perfereamus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod Q. Servilius Ahala Sp. Melium, novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus enim senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest reipublicae consilium, neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

THEMA XXXIV.

Ejemplo de un exordio de insinuacion, tomado de la oracion segunda de Ciceron contra Rulo, sobre la ley Agraria.

Est hoc in more positum, Quirites, institutoque majorum, ut ii qui beneficio vestro imagines familiae suae consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant. Qua in oratione nonnulli aliquando digni majorum loco reperiuntur: plerique autem hoc perficiunt, ut tantum majoribus eorum debitum esse videatur, unde etiam, quod posteris solveretur, redundaret. Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur: non, quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis; sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt. De me autem ipso, vereor, ne arrogantis sit, apud vos dicere: ingrati, tacere. Nam et quibus studiis hanc dignitatem consecutus sim, memet ipsum commemorare, perquam grave est, et silere de tantis vestris beneficiis nullo modo possum. Quare adhibebitur à me certa ratio moderatioque dicendi, ut, quid à vobis acceperim, commemorem: quare dignus vestro summo honore, singularique judicio sim, ipse modicè dicam, si necesse erit: vos eosdem existimaturos putem, qui judicavistis.

Me perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum, primum hominem novum, consulem fecistis, et eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum atque omni ratione obvalla-

tum tenebat, me duce, rescidistis, virtutique in posterum patere voluistis. Neque me tantummodo consulem, quod est ipsum per sese amplissimum, sed ita fecistis, quomodo pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt, novus ante me nemo.

## ARENGAS DE Q. CURCIO.

### THEMA XXXV.

Alejandro manifiesta á los médicos y amigos el mal estado de su salud, y su opinion acerca de los remedios.

In quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor, et qui ultro intuli bellum, jam provocor. Darius ergo, quum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit? sed nequidquam, si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia et segnes medicos non exspectant tempora mea: vel mori strenuè, quàm tarde convalescere mihi melius est. Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant me non tam mortis, quàm belli remedium quærere.

### THEMA XXXVI.

Los embajadores de Dario solicitan la paz, exponiendo prudentes razones para alcanzarla.

Darium, inquit unus è legatis, ut pacem à te jam hoc tertio peteret, nulla vis subegit; sed

justitia et continentia tua expresit. Matrem, conjugem, liberosque ejus, nisi quòd sine illo sunt, captos esse non sensit: pudicitiae earum, quae supersunt, curam haud secus quam parens, agens, reginas apellas: speciem pristinae fortunae retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darii fuit, quum dimitteremur ab eo: et ille tamen uxorem, tu hostem luges. Jam in acie stares, nisi cura te sepulturae ejus moraretur. Et quid mirum est, si tam ab amico animo pacem petit? quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? Antea imperio tuo finem destinabat Halyn amnem, qui Lydiam terminat. Nunc quidquid inter Hellespontum et Euphraten est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit: Ochum filium, quem habes, pacis et fidei obsidem retine: matrem et duas virgines filias redde: pro tribus corporibus triginta millia talentum auri precatur accipias. Nisi moderationem animi tui notam haberem, non dicerem hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice quantum post te reliqueris: intuere quantum petas! Periculosum est praegrave imperium: difficile est continere, quod capere non possis. Videsne, ut navigia, quae modum excedunt, regi nequeant? Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiae opes magnae jacturae locum faciunt. Facilius est quaedam vincere quam tueri: quam, hercule, expeditius manus nostrae rapiunt, quam continent! Ipsa mors uxoris Darii te admonere potest, minus jam misericordiae tuae licere, quam licuit.

Narratae Darii gratiarum actionem apud

THEMA XXXVII.

Queriendo Alejandro oír el parecer de sus generales acerca de la paz, Parmenion le aconseja ponga fin á la guerra con estas palabras:

Tandem Parmenio, ante suasisse ait, ut captivos apud Damascum redimentibus redderet; ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis, qui multi vincti virorum fortium occupaverant manus. Et nunc magnopere censere, ut unam anum, et duas puellas, itinerum agminumque impedimenta, triginta millibus talentis auri permutet. Optimum regnum occupari posse conditione, non bello: nec quemquam alium inter Istrum et Euphraten possedisse terras ingenti spatio intervalloque discretas. Macedoniam quoque respiceret potius, quàm Bactra et Indos intueretur.

Contestacion de Alejandro sosteniendo su dignidad de rey.

Et ego pecuniam, inquit, quàm gloriam mallem, si Parmenio essem. Nunc Alexander, de paupertate securus sum: et me non mercatorem meminisse esse, sed regem. Nihil quidem habeo venale; sed fortunam meam utique non vendo. Captivos, si placet reddi, honestius dono dabimus, quàm pretio remitemus.

THEMA XXXVIII.

Alejandro contesta negativamente á los embajadores de Darío, desprecia sus ofertas, y les dice anuncien á su Señor que se rinda, ó se prepare para la guerra.

Nuntiate Darío, gratiarum actionem apud

hostem supervacaneam esse: et me, quæ fecerim clementer et liberaliter, non amicitiae ejus tribuisse, sed naturæ meæ, nec adversus calamitates, sed adversus hostium vires contendere. Bellum cum captivis, et feminis gerere non soleo: armatus sit oportet quem oderim. Quod si saltem pacem bona fide peteret, deliberarem forsitan, an darem: verum enimvero, quum modo milites meos literis ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia sollicitet, ad internecionem mihi persequendus est; non ut justus hostis, sed ut percussor et veneficus. Conditiones verò pacis, quas fertis, si accepero, victorem eum faciunt. Quæ post Euphraten sunt, liberaliter donat: ubi igitur me affamini? nempe ultra Euphraten sum: summum ergo dotis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam suam; nempe quam scio alicui servorum suorum nupturam: multum vero mihi præstat, si me Mazæo generum præponit! Ite, nuntiate regi vestro, et quæ amisit, et quæ adhuc habet, præmia esse belli: hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximæ lucis assignatura fortuna est, et me in Asiam non venisse, ut ab aliis acciperem, sed ut aliis darem. Si secundus, et non par mihi vellet haberi; facerem forsitan, quæ petit. Ceterum, nec mundus duobus solibus potest regi; nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere. Proinde aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret: nec aliam sibi, quam expertus est, polliceatur fortunam.

THEMA XXXIX.

Palabras de Nabarzan aconsejando á Darío confie á Beso el gobierno de su reino, hasta tanto que el enemigo abandone el Asia.

Scio me inquit, sententiam esse dicturum, prima specie haudquaquam auribus tuis gratam; sed medici quoque graviore morbos asperis remediis curant; et gubernator, ubi naufragium timet, jactura, quidquid servari potest, redimit. Ego tamen, non ut damnum quidem facias, suadeo, sed ut te ac regnum tuum salubri ratione conserves. Diis adversis bellum inimus, et pertinax fortuna Persas urgere non desinit; novis initiis et hominibus opus est. Auspicium, et imperium alii trade interim, qui tamdiu rex appelletur, donec Asia decedat hostis; victor deinde, regnum tibi reddat. Hoc autem brevi futurum ratio promittit. Bactra intacta sunt: Indi et Sacæ in tua potestate: tot populi, tot exercitus, tot equitum peditumque millia ad renovandum bellum vires paratas habent, ut major belli moles supersit, quàm exhausta sit. Quid ruimus, belluarum ritu, in perniciem non necessariam? Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quàm odisse vitam. Sæpe tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi: at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satis est. Proinde si Bactra, quod tutissimum receptaculum est, petimus, præfectum regionis ejus, Bessum, regem temporis gratiâ, statuamus. Compositis rebus, justo regi tibi fiduciarium restituet imperium.



THEMA XL.

Arenga de Alejandro para desvanecer el temor de sus soldados y animarlos á penetrar en la India.

Non ignoro, milites, multa, quæ terrere vos possent, ab incolis Indiæ per hos dies de industria esse jactata: sed non est improvisa vobis mentientium vanitas. Sic Ciliciæ fauces, sic Mesopotamiæ campos, Tigrin et Euphraten, quorum alterum vado transivimus, alterum ponte, terribilem fecerant Persæ. Nunquam ad liquidum fama perducitur; omnia, illa tradente, majora sunt vero: nostra quoque gloria, quum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quàm operis. Modo quis belluas, offerentes mœnium speciem, quis Hydaspen amnem, quis cetera, auditu majora, quàm vero, sustinere posse credebat? Olim, hercule, fugissemus ex Asia, si nos fabulæ debellare potuissent. Creditisne elephantorum greges majores esse, quàm usquam armentorum sunt? Quum et rarum sit animal, nec facilè capiatur, multoque difficilium mitigetur? Atqui eadem vanitas copias peditum equitumque numeravit: nam flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat; quippe angustis ripis coërcita, et in angustiorem alveum elisa, torrentes aquas invadunt: contra spatium alvei segnior cursus est. Præterea in ripa omne periculum est, ubi applicantes navigia hostis exspectat. Ita quantumcumque flumen intervenit, idem futurum discrimen est evadentium in terram.

THEMA XLI.

Que no deben temer la bravura de los elefantes, ni la desordenada multitud de enemigos. Cuenta con ejército suficiente para vencer, y confía en su valor.

Sed omnia ista vera esse fingamus. Utrumne vos magnitudo belluarum, an multitudo hostium terret? Quod pertinet ad elefantos, praesens habemus exemplum: in suos vehementius, quam in nos incurrerunt; tam vasta corpora securibus falcibusque mutilata sunt. Quid autem interest totidem sint, quot Porus habuit, an tria millia? quum, uno aut altero vulneratis, ceteros in fugam declinare videamus? Inde paucos quoque incommodè regunt: congregata verò tot millia ipsa se elidunt, ubi nec stare, nec fugere poterint inhabiles vastorum corporum moles. Equidem, sic animalia ista contempsi, ut, quum haberem, ipse non opposuerim; satis gnarus, plus suis, quam hostibus, periculi inferre. At enim equitum peditumque multitudo vos commovet! cum paucis enim pugnare soliti estis, et nunc primum inconditam sustinebitis turbam. Testis adversus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus annis, et Cilicia, inundata cruore Persarum, et Arbela, cujus campi devictorum à nobis ossibus strati sunt. Serò hostium legiones numerare cœpistis, postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis: quum per Hellespontum navigarem, de paucitate nostra cogitandum fuit. Nunc nos Scythæ sequuntur; bactriana auxilia praesto sunt; Dahæ Sogdianique inter nos militant. Nec tamen illi turbæ confido; vestras manus intueor; vestram virtutem, rerum, quas ge-

sturus sum, vadem prædemque habeo: quamdiu vobiscum in acie stabo, nec meos, nec hostium exercitus numeravero: vos modò animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus: pervenimus ad solis ortum et Oceanum, nisi obstat ignavia: inde victores, perdomito fine terrarum, revertemur in patriam. Nolite, quod pigri agricolæ faciunt, maturos fructus per inertiam è manibus amittere. Majora sunt periculis præmia; dives eadem et imbellis est regio: itaque non tam ad gloriam vos ducò, quam ad prædam. Digni estis, qui opes, quas illud mare littoribus invehit, referatis in patriam; digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis.

#### THEMA XLII.

Ruega á los soldados que vean en él un compañero y amigo, y que no le abandonen. Notando el silencio y tristeza de los suyos procura alentarlos con enérgicas expresiones.

Per vos gloriamque vestram, qua humanum fastigium exceditis, perque et mea in vos, et in me vestra merita, quibus invicti contendimus, oro quæsoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam regem, deseratis. Cetera vobis imperavi; hoc unum debiturus sum: et is vos rogo, qui nihil unquam vobis præcepi, quin primus me periculis obtulerim; qui sæpe aciem clypeo meo texi, ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem Liberumque patrem, si invidia abfuerit, æquabo. Date hoc precibus meis et tan-

dem obstinatum silentium rumpite. Ubi est ille clamor, alacritatis vestræ index? Ubi ille meorum Macedonum vultus? Non agnosco vos milites: nec agnosci videor à vobis. Surdas jamdudum aures pulso: aversos animos et infractos excitare conor. *Quumque illi in terram demissis capitibus, tacere perseverarent:* Nescio quid, *inquit,* imprudens in vos deliqui, quòd me ne intueri quidem vultis, in solitudine mihi videor esse: nemo respondet; nemo saltem negat. Quos alloquor? quid autem postulo? vestram gloriam et magnitudinem vindicamus. Ubi sunt illi, quorum certamen paulo ante vidi contententium, qui potissimum vulnerati regis corpus exciperent? Desertus, destitutus sum, hostibus deditus. Sed solus quoque ire perseverabo: objicite me fluminibus et belluis, et illis gentibus, quarum nomina horretis; inveniam, qui desertum à vobis sequantur. Scythæ Bactrianique erunt mecum; hostes paulo ante, nunc milites nostri. Mori præstat, quàm precariò imperatorem esse: ite reduces domos, ite deserto rege ovantes: ego hic à vobis desperatæ victoriæ, aut honestæ morti locum inveniam.

## ARENGAS DE C. C. SALUSTIO.

### THEMA XLIII.

Los que están al frente de los gobiernos ó cargos públicos, si han de proceder justificadamente, deben carecer de vicios. Ejemplos que así lo confirman.

Omnis homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque

misericiordiâ vacuos esse decet. Haud facilè animus verum providet, ubi illa officiunt; neque quisquam omnium lubidini simul et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet: si lubido possidet, ea dominatur; animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C., qui reges atque populi, irâ aut misericordiâ impulsî, malè consuluerint; sed ea malo dicere, quæ majores nostri, contra lubidinem animi, rectè atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quæ populi romani opibus creverat, infida atque adversa nobis fuit; sed postquam, bello confecto, de Rhodiis consultum est, majores nostri, ne quis divitiarum magis, quàm injuriæ causâ bellum inceptum diceret, impunitos dimisere. Item bellis punicis omnibus quum sæpe Carthaginienses et in pace, et per inducias, multa nefaria facinora fecissent; nunquam ipsi per occasionem talia fecere: magis, quid se dignum foret, quàm quid in illos jure fieri posset, quærebant. Hoc idem providendum est, patres conscripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli, et ceterorum scelus, quàm vestra dignitas; neu magis iræ quàm famæ consulatis. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, iis utendum censeo, quæ legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, compositè atque magnificè casum reipublicæ miserati sunt: quæ belli sævitia, quæ victis acciderent, enumeravere: rapi virgines, pueros; divelli liberos à parentum complexu; matres familiarum pati, quæ victoribus collibuisent; fana atque domos spoliari; cædem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore

atque luctu omnia compleri. Sed, per deos immortales, quò illa oratio pertinuit? An, uti vos infestos conjurationi faceret? scilicet, quem res tanta, atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet! Non ita est: neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur; multi eas gravius æquo habuere. Sed alia aliis licentia est, patres conscripti. Qui dimissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundiâ deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt: qui magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna minima licentia est; neque studere, neque odisse, sed minimè irasci decet.

#### THEMA XLIV.

Es justo que se castigue á los malos. Nunca podrá llamarse cruel la pena que se imponga á los reos convictos de crímenes atroces, y parricidas de la patria.

Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia, atque crudelitas appellatur. Equidem ego sic existumo, patres conscripti, omnis cruciatus minores, quàm facinora illorum esse; sed plerique mortales postrema meminere; et in hominibus impiis sceleris obliti, de pœna disserunt, si ea paulò severior fuit. D. Silanum virum fortem atque strenuum, certo scio, quæ dixerit, studio reipublicæ dixisse, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere. Eos mores, eam modestiam viri cognovi. Verùm sententia ejus mihi non crudelis (quid enim in tales homines crudele fieri potest?) sed aliena à republica nostra videtur. Nam profectò aut metus, aut injuria te subegit, Silane, consulem designatum,

genus pœnæ novum decernere. De timore super-  
vacaneum est disserere, quum præsertim diligen-  
tiâ clarissimi viris conulis tanta præsidia sint in  
armis. De pœna possum equidem dicere id quod res  
habet; in luctu atque miseriis, mortem ærumna-  
rum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta  
mortalium mala dissolvere; ultra neque curæ, ne-  
que gaudio locum esse. Sed, per deos immortales,  
quamobrem in sententiam non addidisti, ut prius  
verberibus in eos animadverteretur? An, quia  
lex Porcia vetat? At aliæ leges item condemnatis  
civibus animam non eripi, sed exsilium permi-  
tunt. An quia gravius est verberari, quàm necari?  
Quid autem acerbum, aut nimis grave est in  
homines tanti facinoris convictos? Sin quia levius;  
quî convenit, in minori negotio legem timere,  
quum eam in majori neglexeris? At enim quis re-  
prehendet, quod in parricidas reipublicæ decretum  
erit? Tempus, dies, fortuna, cujus lubido genti-  
bus moderatur. Illis meritò accidet quidquid  
e venerit: ceterum vos, patres conscripti, quid in  
alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla  
ex bonis initiis orta sunt; sed ubi imperium ad  
ignaros, aut minus bonos pervenit, novum illud  
exemplum ab dignis, et idoneis ad indignos et non  
idoneos transfertur.

#### THEMA XLV.

Cómo son los gobiernos al principio; degeneran  
después y se hacen tiranos. Su crueldad cuando les do-  
minan las pasiones.

Lacedæmonii, devictis Atheniensibus, trigin-  
ta viros imposuere, qui rempublicam eorum tra-  
ctarent. Il primò cœpere pessimum quemque et

omnibus invisum indemnatum necare: ea populus lætari et meritò dicere fieri. Post ubi paulatim licentia crevit, juxta bonos, et malos lubricinosè interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas servitute oppressa, stultæ lætitiæ graves pœnas dedit. Nostrâ memoriâ victor Sulla quum Damasippum et alios hujusmodi, qui malo reipublicæ creverant, jugulari jussit; quis non factum ejus laudabat? Homines scelestos, factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, meritò necatos ajebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit; nam uti quisque domum aut villam, postremo aut vas, aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam uti in proscriptorum numero esset. Ita quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, paulò post ipsi trahebantur; neque prius finis jugulandi fuit, quàm Sulla omnes suos divitiis explevit. Atque ego hoc non in M. Tullio, neque his temporibus vereor; sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi. Ubi hoc exemplo, per senatûs decretum, consul gladium eduxerit; quis finem statuet, aut quis moderabitur?

#### THEMA XLVI.

Conducta de los primeros romanos, y cómo engrandecieron la república. Castigo que imponían á los ciudadanos: pena que debe aplicarse á los conjurados.

Majores nostri, patres conscripti, neque consilii, neque audaciæ unquam eguere: neque superbia obstabat, quo minus instituta aliena, sicut modo proba imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratum ab



Tuscis pleraque sumpserunt: postremò quod ubique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur: imitari, quàm invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Græciæ morem imitati, verberibus animadvertébant in cives; de condemnatis supplicium sumebant. Postquam respublica adolevit, et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, aliaque hujuscemodi fieri cœpere. Tunc lex Porcia aliæque leges paratæ, quibus legibus exilium damnatis permissum. Hanc ego causam, patres conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profectò virtus atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quàm in nobis qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti, et augeri exercitum Catilinæ? minimè. Sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quæ maximè opibus valent; neu quis de iis postea ad senatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, senatum existimare, eum contra rempublicam, et salutem omnium facturum.

#### THEMA XLVII.

Segun el dictámen severo de Caton, no basta castigar el delito cometido; es necesario precaverlo, y mirar por la conservacion de la patria que está en peligro.

Longè mihi alia mens est, patres conscripti, quum res atque pericula nostra considero, et quum sententias nonnulorum mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris atque focis suis bel-

lum paravere: res autem monet, cavere ab illis magis, quàm quid in illos statuamus, consultare. Nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt: hoc, nisi provideris, ne accadat, ubi evenit, frustra judicia implores: capta urbe nihil fit reliqui victis. Sed, per deos immortales, vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quàm rempublicam, fecistis: si ista, cujuscumque modi sint, quæ amplexamini, retinere; si voluptatibus vestris otium præbere vultis; expergiscimini aliquando, et capessite rempublicam. Non agitur de vectigalibus, non de sociorum injuriis; libertas, et anima nostra in dubio est. Sæpenumerò, patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci: sæpe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum; multoque mortales ea causa adversos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen respublica firma; opulentia negligentiam tolerabat. Nunc verò non id agitur, bonis an malis moribus vivamus; neque quantum, aut quàm magnificum imperium populi romani, sed cujus hæc cumque modi videntur, nostra, an nobiscum unâ hostium futura sint.

#### THEMA XLVIII.

Laméntase del cambio de las costumbres de la república: insiste en la necesidad de mirar por la vida, de perseguir y castigar á los malos en toda la Italia.

Hic mihi quisquam mansuetudinem, et misericordiam nominat! Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amissimus; quia bona alie-

na largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur: eo respublica in extremo sita est. Sint sanè, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis; sint misericordes in furibus ærarii: ne sanguinem nostrum largiantur, et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant. Benè, et compositè C. Cæsar paulo ante in hoc ordine de vita, et morte disseruit, credo falsa existimans ea, quæ de inferis memorantur: diverso itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda, atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos; videlicet timens, ne, si Romæ sint, aut à popularibus conjurationis, aut à multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi verò mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium, si periculum ex illis metuit. Sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert, me mihi atque vobis timere.

#### THEMA XLIX.

Llama la atencion del Senado sobre el castigo de los conjurados. Causas del engrandecimiento de la república en anteriores tiempos. Vicios de los senadores.

Quare quum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinæ et de omnibus conjuratis decernere. Quanto vos attentius ea ageris, tanto illis animus infirmior erit. Si paululum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt. Nolite existimare, majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, multò pul-

cherrimam eam nos haberemus: quippe sociorum atque civium, præterea armorum atque equorum, major nobis copia, quàm illis. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, atque avaritiam, publicè egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hinc pecuniæ, aut gratiæ servitis; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam. Sed ego hæc omitto. Conjuravere nihilissimi cives patriam incendere; Gallorum gentem infestissimam nomini romano ad bellum arcesunt; dux hostium cum exercitu supra caput est. Vos cunctamini etiam nunc, et dubitabitis, quid intra mœnia deprehensis hostibus, faciatis? Misereamini censeo: deliquere homines adolescentuli per ambitionem: atque etiam armatos dimittatis. Næ ista vobis mansuetudo, et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet. Scilicet res aspera est, sed vos non timetis eam. Imo verò maximè: sed inertia et mollitia animi, alius alium exspectantes cunctamini; videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maxumis sæpe periculis servavere.

#### THEMA L.

Reprende la lenidad y cobardía del Senado: pondera lo inminente del peligro, y opina por que se castigue pronto con pena capital á los reos convictos y confesos.

Non votis, neque suppliciis muliebribus auxi-

lia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prosperè omnia cedunt: ubi socordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequidquam deos implores, irati, infestique sunt. Apud majores nostros A. Manlius Torquatus bello gallico filium suum, quòd is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit; atque ille egregius adolescens immoderatæ fortitudinis, morte pœnas dedit. Vos de crudelissimis parricidis quid statuat, cunctamini? Videlicet cetera vita eorum huic sceleri obstat. Verùm parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famæ suæ, si diis aut hominibus unquam ullis pepercit: ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum patriæ bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cepario loquar? quibus si quidquam pensi unquam fuisset, non ea consilia de republica habuissent.

Postremo patres conscripti, si mehercle peccato locus esset, facilè paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam mea verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu in faucibus urget: alii intra mœnia, atque in sinu urbis sunt hostes: neque parari, neque consuli quidquam occultè potest: quo magis properandum. Quare ita ego censeo; quum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturtii, et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, cædem, incendia, alia fœda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse; de confessis, sicut de manifestis rerum capitalium, more majorum, supplicium sumendum.

THEMA LI.

Catilina arenga á sus soldados preparándolos para combatir: los anima, pintando con vivos colores el apuro en que se hallan, y del que, solo su valor podrá librarles.

Compertum ego habeo, milites, verba viris virtutem non addere; neque ex ignavo strenuum neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cujusque animo audacia natura, aut moribus inest, tanta in bello patere solet: quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam hortere; timor animi auribus officit. Sed ego vos, quò pauca monerem, advocavi: simul uti causam consilii mei aperirem. Scitis equidem, milites, socordia, atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem attulerit; quoque modo, dum ex urbe præsidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc verò quo in loco res nostræ sint, juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter à Gallia obstant: diutius in his locis esse, si maxumè animus ferat, frumenti, atque aliarum rerum egestas prohibet: quocumque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis: et quum prælium inibitis, memineritis vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare.

THEMA LII.

Les hace ver que si vencen abundarán de todo; que confía en su bravura; exhortándoles, por último, perfieran la muerte á una vergonzosa fuga.

Si vincimus, omnia nobis tuta erunt; commea-

tus abunde, municipia atque coloniæ patebunt. Sin metu cesserimus, eadem illa adversa fient: neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Præterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet; nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacaneum est pro potentia paucorum pugnare: quo audacius aggredimini, memores pristinae virtutis. Licuit nobis cum summa turpitudine in exilio ætatem agere: potuistis nonnulli Romæ, amissis bonis, alienas opes exspectare. Quia illa fœda atque intoleranda viris videbantur, hæc sequi decrevistis. Si hæc relinquere vultis, audaciâ opus est: nemo nisi victor, pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, quum arma, quæ corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea verò dementia est. Semper in prælio his est maximum periculum, qui maximè timent: audacia pro muro habetur. Quum vos considero, milites, et quum facta vestra aestumo, magna me spes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus vestra hortantur: præterea necessitudo, quæ etiam timidus fortis facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiæ loci. Quod si virtuti vestræ fortuna inviderit, cavete inulti animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora, trucidemini, quàm virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.

### THEMA LIII.

Viendo Camilo sus soldados sobrecogidos ante el excesivo número de enemigos, los anima recordando los anteriores triunfos, y los alienta con la esperanza de otro nuevo.

Quæ tristitia, milites, hæc, quæ insolita cun-

ctatio est? Hostem, an me, an vos ignoratis? Hostis est quid aliud, quàm perpetua materia virtutis, gloriæque vestræ? Vos contra, me duce, (ut Falerios, Vejosque captos, et in capta patria Gallorum legiones cæsas taceam), modò trigeminæ victoriæ triplicem triumphum ex his ipsis Volscis, et Æquis, et ex Ætruria egistis. An me, quòd non dictator vobis, sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? Neque ego maxima imperia in vos desidero; et vos in me nihil, præter me ipsum, intueri decet; neque enim dictatura mihi unquam animos fecit, ut ne exilium quidem ademit. Iidem igitur omnes sumus: et quum eadem omnia in hoc bellum afferamus, quæ in priora attulimus, eventum eundem belli expectemus. Simul concurreritis, quod quisque didicit ac consuevit, faciet. Vos vincetis, illi fugient.

#### THEMA LIV.

Arenga de Annon contra Annibal que rompe la alianza con los romanos. Reprueba las disposiciones del Senado, y predice que las ruinas de Sagunto serán causa de la destruccion de Cartago.

Per deos, fœderum arbitros ac testes, monuisse, prædixisse se, ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent. Non manes, non stirpem ejus conquiescere viri; nec unquam, donec sanguinis nominisque Barcini quisquam supersit, quietura Romana fœdera. Juvenem flagrantem cupidine regni, viamque unam ad id cernentem, si ex bellis bella serendo succinctus armis legionibusque vivat, velut materiam igni præbentes, ad exercitus misistis. Aluistis ergo hoc incendium, quo nunc ardetis. Saguntum vestri cir-



cumsident exercitus, unde arcentur fœdere: mox Carthaginem circumsidebunt romanæ legiones, ducibus iisdem diis, per quos priore bello rupta fœdera sunt ulti. Utrum hostem, an vos, an fortunam utriusque populi ignoratis? Legatos, ab sociis et pro sociis venientes, bonus imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit. Hi tamen, unde ne hostium quidem legati arcentur, pulsati ad vos veniunt, res ex fœdere repetunt. Publica fraus absit; auctorem culpæ et reum criminis deprecantur. Quò lenius agunt, segnius incipiunt, eò, quum cœperint, vereor, ne perseverantius sæviant. Ægates insulas, Erycemque ante oculos proponite; quæ terram marique per quatuor et viginti annos passisitis. Nec puer hic dux erat, sed pater ipse Hamilcar, Mars alter, ut isti volunt. Sed tunc Tarento, id est Italia, non abstinueramus ex fœdere, sicut nunc Sagunto non abstinemus.

#### THEMA LV.

Parécele ver cumplido su vaticinio, y encendida la guerra con el pueblo romano, opinando porque se oigan las quejas de los embajadores, y proceda legalmente.

Vicerunt ergo dii hominesque; et id, de quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus rupisset, eventus belli, velut æquus iudex, unde jus stabat, ei victoriam dedit. Carthagini nunc Annibal vineas turresque admovet: Carthaginis mœnia quatit ariete. Sagunti ruinae (falsus utinam vates sim!) nostris capitibus incident, susceptumque cum Saguntinis bellum, habendum cum Romanis est. Dedemus ergo Annibalem? di-

cet aliquis. Scio, meam levem esse in eo auctoritatem propter paternas inimicitias. Sed Hamilcarem eo periisse lætatus sum, quòd, si ille viveret, bellum jam cum Romanis haberemus; et hunc juvenem, tanquam furiam facemque hujus belli, odi ac detestor. Nec dedendum solùm ad piaculum rupti fœderis; sed, si nemo deposcat, devehendum in ultimas maris terrarumque oras, ablegandumque eò, unde nec ad nos nomen famaque ejus accedere, neque sollicitare quietæ civitatis statum possit. Ego ita censeo, legatos extemplò Romam mittendos, qui senatui satisficiant: alios, qui Annibali nuncient, ut exercitum ab Sagunto abducat, ipsumque Annibalem ex fœdere Romanis dedant: tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno.

#### THEMA LVI.

Escipion arenga á sus tropas, y las dispone para el sitio de Cartago, donde están concentradas innumerables riquezas. Asegúrales que, con este triunfo, serán dueños de toda la España.

Ad urbem unam oppugnandam si quis vos adductos credit, is magis operis vestri, quàm emolumenti rationem exactam, milites, habet. Oppugnabitis enim verè mœnia unius urbis, sed in una urbe universam ceperitis Hispaniam. Hic sunt obsides omnium nobilium regum populorumque, qui, simul in potestate vestra erunt, extemplò omnia, quæ nunc sub Carthaginensibus sunt, in ditionem tradent. Hic pecunia omnis hostium, sine qua neque illi gerere bellum possunt, quippe qui mercenarios exercitus alant; et quæ nobis maximo usui ad conciliandos animos barbarorum

erit. Hic tormenta, arma, armamenta, et omnis apparatus belli est, qui simul et vos instruet, et hostes nudabit. Potiemur præterea cùm pulcherrima opulentissimaque urbe, tum opportunissima portu egregio, unde terra marique, quæ belli usus poscunt, suppeditentur. Quæ cùm magna ipsi habebimus, tum demserimus hostibus multò majora. Hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, armamentarium, hoc omnium rerum receptaculum est. Hinc rectus in Africam cursus est; hæc una inter Pyrenæum et Gades statio; hinc omni Hispaniæ imminet Africa. Sed quoniam vos instructos et ordinatos cognosco, ad Carthaginem novam oppugnandam totis viribus et bono animo transeamus.

#### THEMA LVII.

Los Cartagineses creen que Annibal se rie de sus lamentos, en medio de las penas que los afligen. Los califica de inoportunos, y teme que les sobrevengan otros males.

Si, quemadmodum oris habitus cernitur oculis, inquit, sic et animus intus cerni posset, facile vobis appareret, non læti, sed prope amentis malis cordis hunc, quem increpatis, risum esse. Qui tamen nequaquam adeo est intempestivus, quàm vestræ istæ absurdæ atque abhorrentes lacrimæ sunt. Tunc flèsse decuit, quum adempta nobis arma, incensæ naves, interdictum externis bellis. Illo enim vulnere concidimus. Nec esse in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis. Nulla magna civitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet, domi invenit; ut prævalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur. Tantum nimirum ex pu-

blicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet; nec in iis quidquam acrius, quàm pecuniæ damnum, stimulat. Itaque, quum spolia victæ Carthagini detrahebantur; quum inermem jam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africæ cerneretis, nemo ingemuit: nunc, quia tributum ex privato conferendum est, tanquam in publico funere, comploratis. Quam vereor, ne propediem sentiatis, levissimo in malo vos hodie lacrimasse!

### THEMA LVIII.

Annibal arrojado de su patria se presenta al rey Antiocho: implora su amistad, y le ofrece sus servicios contra el pueblo romano.

Pater Hamilcar, inquit, Antioche, parvum admodum me, quum sacrificaret, altaribus admotum jurejurando adegit, nunquam amicum fore populi romani. Sub hoc sacramento sex et triginta annos militavi; hoc me in pace patria mea expulit: hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit; hoc duce, si tu spem meam destitueris, ubicumque vires, ubi arma esse sciam, huc veniam, toto orbe terrarum quærens aliquot Romanis hostes. Itaque, si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi, quàm ex me quærant. Odi, odioque sum Romanis; id me verum dicere pater Hamilcar et dii testes sunt. Proinde quum de bello romano cogitabis, inter primos amicos Annibalem habeto; si qua res te ad pacem compellet, in id consilium alium, cum quo deliberes, quærito.

THEMA LIX.

Sublevadas en el campamento de Germánico dos de sus legiones, manda que su esposa é hijo se retiren á lugar seguro. Los amotinados se enternecen viendo á Agripina llorosa salir con Calígula; piden á Germánico que no consienta su marcha, pero este, enojado, les habló de la siguiente manera:

Non mihi uxor aut filius patre et republica cariores sunt: sed illum quidem sua majestas, imperium romanum cæteri exercitus defendent. Conjugem, et liberos meos, quos, pro gloria vestra, libens, ad exitium offerrem, nunc procul à furentibus summoveo, ut quiquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur; neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum, intemeratumve vobis? Quod nomen huic cœtui dabo? milites ne appellem? qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumседistis. An cives? quibus tam projecta senatûs auctoritas. Hostium quoque jus, et sacra legationis, et fas gentium rupistis. Divus Julius seditionem exercitûs verbo uno compescuit, Quirites vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus vultu et adpectu Actiacas legiones exterruit: nos, ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispaniæ Syriæve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat: primane et vicesima legiones, illa signis à Tiberio acceptis, tu tot præliorum socia, tot præmiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? Hunc ego nuntium patri, læta omnia aliis è provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos, non mis-

sione, non pecuniâ satiatos; hîc tantùm interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos; infecta sanguine castra, flumina, meque precariam animam inter infensos trahere?

THEMA LX.

Prosigue quejándose de la conducta de los suyos: ruega que los dioses laven aquella mancha, y que venga el castigo sobre los culpables.

Cur enim, primo concionis die, ferrum illud, quod pectori meo infringere parabam, detraxistis, ò improvidi amici? meliùs et amantiùs ille qui gladium offerebat: cecidissem certè, nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius: legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sine- ret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim dii sinant, ut Belgarum, quamquàm offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse romano nomini, compressisse Germaniæ populos! Tuâ, dive Auguste, cœlo recepta mens; tuâ, pater Druse, imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos jam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant! Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem ac filium redditis, discedite à contactu, ac dividite turbidos: id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit.

THEMA LXI.

Una embajada de la España Ulterior pide al senado romano le permita levantar un templo en honor del emperador y su madre. Con este motivo Tiberio se justifica ante los que motejaban su vanidad, no accediendo á la pretension de los españoles.

Scio, patres conscripti, constantiam meam à plerisque desideratam, quòd Asiæ civitatibus, nuper idem istud petentibus, non sim adversatus: ergo et prioris silentii defensionem, et quid in futurum statuerim, simul aperiam. Quum divus Augustus sibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibuisset; qui omnia facta dictaque ejus vice legis observem, placitum jam exemplum promptius sequutus sum, quia cultui meo veneratio senatûs adjugebatur. Ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum: et vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur.

Ego me, patres conscripti, mortalem esse, et hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, et vos testor, et meminisse posteros volo: qui satis superque memoriæ meæ tribuent, ut majoribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum, credant. Hæc mihi in animis vestris templa, hæc pulcherrimæ effigies, et mansuræ: nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, cives, et deos ipsos precor: hos ut mihi, ad finem usque vitæ, quietam et intelligentem humani

divinique juris mentem duint; illos ut, quandoque concessero, cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur.

THEMA LXII.

Séneca recibió de Neron, su discípulo, tantas riquezas y posesiones, que excitaron la envidia de muchos, acusándole de avaro. Para librarse de esta nota, y corregir á aquel, resuelve devolverle sus donativos.

O, quam te memorem, virgo? namque haud tibi vultus  
Mortalis, nec vox hominem sonat: o, dea certè;  
An Phœbi soror? an Nympharum sanguinis una?  
Sis felix, nostrumque leves, quæcumque, laborem:  
Et quo sub cælo tandem, quibus orbis in oris  
Jactemur, doceas: ignari hominumque locorumque  
Erramus, vento huc vastis et fluctibus acti.  
Multa tibi ante aras nostrâ cadet hostia dextrâ.

Tunc Venus: Haud equidem tali me dignor honore:  
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,  
Purpureoque altè suras vincire cothurno.  
Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris urbem.  
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.  
Imperium Dido Tyriâ regit urbe profecta,  
Germanum fugiens. Longa est injuria, longæ  
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.

Huic conjux Sichæus erat, ditissimus agri  
Phœnicum, et magno miseræ dilectus amore:  
Cui pater intactam dederat, primisque jugârat  
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat.

Pigmalion, scelere autè alios immanior omnes,  
Quos inter medius venit Furor. Ille Sicheum  
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,  
Clam ferro incautum superat, securus amorum  
Germanæ; factumque diu celavit, et ægram,  
Multa malus simulans, vanâ spe lusit amantem.  
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago  
Conjugis; ora modis attollens pallida miris,  
Crudeles aras trajectaque pectora ferro  
Nudavit; cœcumque domûs scelus omne rexit.  
Tum celerare fugam, patriâque excedere suadet,  
Auxiliumque viæ veteres tellure recludit  
Thesaurus, ignotum argenti pondus et auri.  
His commota fugam Dido sociosque parabat.  
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,  
Aut metus acer erat; naves, quæ forte paratæ,  
Corripiunt, onerantque auro. Portantur avari  
Pygmalionis opes pelago; dux femina facti.  
Devenère locos, ubi nunc ingentia cernes  
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem;  
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,  
Taurino quantum possent circumdare tergo.  
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,  
Quove tenetis iter? Quærenti talibus ille  
Suspirans, imoque trahens à pectore vocem:  
O dea, si prima repetens ab origine pergam,  
Et vacet annales nostrorum audire laborum:  
Ante diem clauso componet vesper Olympo.  
Nos Trojâ antiquâ si vestras fortè per aures  
Trojæ nomen iit, diversa per æquora vectos,  
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.  
Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates  
Classe veho mecum, famâ super æthera notus.

Italiam quæro patriam, et genus ab Jove summo.  
Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor.  
Matre Dea monstrante viam, data fata secutus.  
Vix septem convulsæ undis, Euroque supersunt.  
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,  
Europa atque Asia pulsus. Nec plura quarentem  
Passa Venus medio sic interfata dolore est:  
«Quisquis es, haud, credo invisus cœlestibus auras  
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem,  
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.  
Namque tibi reduces socios, classemque relatam  
Nuntio, et in tutum versis aquilonibus actam:  
Ni frustra augurium vani docuère parentes.  
Aspice bis senos lætantes agmine cygnos,  
Æthereâ quos lapsa plagâ Jovis ales aperto  
Turbabat cœlo: nunc terras ordine longo  
Aut capere, aut captas jam despectare videntur.  
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,  
Et cœtu cinxère polum, cantusque dedère:  
Haud aliter puppesque tuæ pubesque tuorum  
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.  
Perge modo, et, quâ te ducit via, dirige gressum.  
Dixit, et avertens roseâ cervice refulsit,  
Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem  
Spiravère; pedes vestis defluxit ad imos;  
Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem  
Agnovit, tali fugientem est voce secutus:  
Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis  
Ludis imaginibus? cur dextrâ jungere dextram  
Non datur, ac veras audire et reddere voces?  
Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.  
At Venus obscuro gradientes aëre sepsit,  
Et multo nebula circum dea fudit amictu:

Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,  
Molirive moram, aut veniendi poscere causas.  
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit  
Læta suas: ubi templum illi, centumque Sabæo  
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

Corripuère viam interea, qua semita monstrat;  
Jamque ascendebant collem, qui plurimus urbi  
Imminet, adversasque aspectat desuper arces.  
Miratur molem Æneas, magalia quondam;  
Miratur portas, strepitumque, et strata viarum.  
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,  
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa;  
Pars optare locum tecto, et concludere sulco.  
Jura, magistratusque legunt, sanctumque senatum.  
Hic portus alii effodiunt; hic alta theatris  
Fundamenta locant alii, immanesque columnas  
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.  
Qualis apes æstate novâ per florea rura  
Exercet sub sole labor; quum gentis adultos  
Educunt fetus, aut quum liquentia mella  
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas;  
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto,  
Ignavam fucos pecus à præsepibus arcent;  
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.  
O fortunati, quorum jam mœnia surgunt!  
Æneas ait, et fastigia suspicit urbis.  
Infert se septus nebulâ (mirabile dictu)  
Per medios, miscetque viris; neque cernitur ulli.

Lucus in urbe fuit mediâ, lætissimus umbrâ,  
Quo primum, jactati undis et turbine, Pœni  
Effodere loco signum, quod regia Juno  
Monstrârat, caput acris equi; sic nam fore bello  
Egregiam, et facilem victu per sæcula gentem.



Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido  
Condebat, donis opulentum, et numine divæ:  
Ære cui gradibus surgebant limina, nexæque  
Ære trabes; foribus cardo stridebat ahenis.  
Hoc primum in luco nova res oblata timorem  
Leniit: hic primum Æneas sperare salutem  
Ausus, et afflictis melius confidere rebus.  
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,  
Reginam opperiens, dum, quæ fortuna sit urbi,  
Artificumque manus inter se, operumque laborem  
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,  
Bellaque jam famâ totum vulgata per orbem,  
Atridas, Priamumque, et sævum ambobus Achillem.  
Constitit; et lacrimans, quis jam locus, inquit, Achate,  
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?  
En Priamus: sunt hic etiam sua præmia laudi:  
Sunt lacrimæ rerum; et mentem mortalia tangunt.  
Solve metus; feret hæc aliquam tibi fama salutem.  
Sic ait, atque animum pictura pascit inani,  
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.  
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum  
Hæc fugerent Graji, premeret Trojana juventus;  
Hæc Phryges; instaret curru cristatus Achilles.  
Nec procul hinc Rhæsi niveis tentoria velis  
Agnoscit lacrimans; primo quæ prodita somno  
Tydides multâ vastabat cæde cruentus;  
Ardentesque avertit equos in castra, priusquam  
Pabula gustassent Trojæ Xanthumque bibissent.  
Parte aliâ fugiens amissis Troilus armis,  
Infelix puer, atque impar congressus Achilli,  
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani,  
Lora tenens tamen: huic cervixque comæque trahuntur  
Per terram, et versa pulvis inscribitur hastâ.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant  
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant  
Suppliciter tristes, et tunsæ pectora palmis.  
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.  
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,  
Exaninumque auro corpus vendebat Achilles.  
Tum verò ingentem gemitum dat pectore ab imo:  
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,  
Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.  
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,  
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.  
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis  
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet.  
Aurea subnectens exsertæ cingula mamma  
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.  
Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,  
Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno:  
Regina ad templum, formâ pulcherrima, Dido  
Incessit, magnâ juvenum stipante catervâ.  
Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi,  
Exercet Diana choros; quam mille secuutæ  
Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram  
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes;  
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus:  
Talis erat Dido, talem se læta ferebat  
Per medios, instans operi regnisque futuris.  
Tum foribus divæ, media testudine templi,  
Septa armis, solioque altè subnixa, resedit.  
Jura dabat legesque viris; operumque laborem  
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.  
Quum subito Æneas concursu accedere magno  
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,  
Teucrorumque alios: ater quos æquore turbo

Dispulerat, penitusque alias advexerat oras.  
Obstupuit simul ipse, simul percussus Achates,  
Lætitiæque metuque; avidè conjungere dextras  
Ardebant: sed res animos incognita turbat.  
Dissimulant: et nube cavâ speculantur amicti,  
Quæ fortuna viris; classem quo littore linguant:  
Quid veniant: cunctis nam lecti navibus ibant.  
Orantes veniam, et templum clamore petebant.

VII.

Eneas y sus compañeros entran en el templo: son presentados á Dido, á la que Ilioneo refiere los sucesos de la guerra de Troya, y le pide favor para los suyos.

Postquam introgressi, et coram data copia fandi;  
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit:  
O regina, novam cui condere Jupiter urbem,  
Justitiæque dedit gentes frænare superbas,  
Troës te miseri, ventis maria omnia vecti,  
Oramus, prohibe infandos à navibus ignes:  
Parce pio generi, et propius res aspice nostras.  
Non nos aut ferro Libycos populare Penates  
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas:  
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.  
Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,  
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ:  
OEnotri coluère viri: nunc fama, minores  
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.  
Huc cursus fuit:  
Quum subitò assurgens fluctu nimbosus Orion  
In vada cæca tulit, penitusque procacibus austris  
Perque undas, superante salo, perque invia saxa  
Dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris.

Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem  
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ!  
Bella cient, primaque vetant consistere terra.  
Si genus humanum, et mortalia temnitis arma;  
At sperate deos memores fandi atque nefandi.  
Rex erat Æneas nobis, quo justior alter  
Nec pietate fuit, nec bello major et armis.  
Quem si fata virum servant, si vescitur aura  
Æthereâ, neque adhuc crudelibus occubat umbris:  
Non metus, officio nec te certâsse priorem  
Pœniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,  
Arvaque, Trojanoque à sanguine clarus Acestes.  
Quassatam ventis liceat subducere classem,  
Et silvis aptare trabes, et stringere remos.  
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,  
Tendere, ut Italiam læti Latiumque petamus.  
Sin absumpta salus, et te, pater optime Teucrum,  
Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli:  
At freta Sicania saltem, sedesque paratas,  
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.  
Talibus Ilioneus. Cuncti simul ore fremebant  
Dardanidæ.

Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur:  
Solvite corde metum, Teucrici; secludite curas.  
Res dura, et regni novitas me talia cogunt  
Moliri, et latè fines custode tueri.  
Quis genus Æneadum, quis Trojæ nesciat urbem,  
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?  
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni;  
Nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe.  
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,  
Sive Ærycis fines regemque optatis Acesten:  
Auxilio tutos dimittam, opibusque juro.

Vultis et his mecum pariter considerare regnis?  
Urbem quam statuo, vestra est; subducite naves;  
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.  
Atque utinam rex ipse, Noto compulsus eodem,  
Afforet Æneas! Equidem per littora certos  
Dimittam, et Libyæ lustrare extrema jubebo;  
Si quibus ejectus silvis aut urbibus errat.

### VIII.

Acates va á las naves en busca de Ascanio; pero Venus, temerosa de la inconstancia de la reina, y de los peligros que este pudiera correr por las asechanzas de Juno, lo trasporta á su bosque de Idalia, en la isla de Chipre, trayendo en su lugar, y bajo la forma de Ascanio, á Cupido, para que inflame de amor el corazon de Dido.

His animum arrecti dictis, et fortis Achates,  
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem  
Ardebant. Prior Æneam compellat Achates:  
Nate deã, quæ nunc animo sententia surgit?  
Omnia tuta vides; classem sociosque receptos.  
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi  
Submersum; dictis respondent cetera matris.  
Vix ea fatus erat, quum circumfusa repenti  
Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum.  
Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,  
Os humerosque deo similis: namque ipsa decoram  
Cæsariem nato genitrix, lumenque juvenæ  
Purpureum, et latos oculis afflârat honores:  
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo  
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.

Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente  
Improvisus ait: Coram, quem queritis, adsum  
Troïus Æneas, Libycis ereptus ab undis

O sola infandos Trojæ miserata labores;  
Quæ nos, reliquias Danaùm, terræque marisque  
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,  
Urbe, domo, socias! grates persolvere dignas  
Non opis est nostræ, Dido, nec quidquid ubique est  
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.  
Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid  
Usquam justitiæ est, et mens sibi conscia recti,  
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt  
Sæcula? qui tanti talem genuère parentes?  
In freta dum fluvii current, dum montibus umbra  
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet:  
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt;  
Quæ me cumque vocant terræ. Sic fatus, amicum  
Ilionea petit dextrâ, lævaque Serestum;  
Pòst alios, fortemque Gyam, fortemque Cloanthum.

Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido;  
Casu deinde viri tanto; et sic ore locuta est.  
Quis te, nate deâ, per tanta pericula casus  
Insequitur? quæ vis immanibus applicat oris?  
Tunc ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ  
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?  
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,  
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem  
Auxilio Beli: Genitor tùm Belus opimam  
Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat:  
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis  
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi.  
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,  
Seque ortum antiqua Teucrorum à stirpe volebat,  
Quare agite, o tectis, juvenes, succedite nostris.  
Me quoque per multos similis fortuna labores  
Jactatam hac demùm voluit consistere terrâ.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Sic memorat: simul Æneam in regia ducit  
Tecta; simul divum templis indicit honorem.  
Nec minus interea sociis ad littora mittit  
Viginti tauros, magnorum horrentia centum  
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos,  
Munera, lætitiæque dei.  
At domus interior regali splendida luxu  
Instruitur, mediisque parant convivia tectis,  
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo;  
Ingens argentum mensis, calataque in auro  
Fortia facta patrum, series longissima rerum,  
Per tot ducta viros antiquâ ab origine gentis.

Æneas (neque enim patrius consistere mentem  
Passus amor) rapidum ad naves præmittit Achatem:  
Ascanio ferat hæc; ipsumque ad mœnia ducat.  
Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.  
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,  
Ferre jubet; pallam signis, auroque rigentem,  
Et circumtextum croceo velamen acantho,  
Ornatus Argivæ Helena, quos illa Mycenis,  
Pergama quum peteret inconcessosque Himenæos;  
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.  
Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,  
Maxima natarum Priami, colloque monile  
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.  
Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.

At Cytherea novas artes, nova pectore versat  
Consilia; ut faciem mutatus et ora Cupido  
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem  
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.  
Quippe domum timet ambigam Tyriosque bilingues:  
Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat.

Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:  
Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus,  
Nate, patris summi, qui tela Typhoia temnis;  
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.  
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum  
Littora jactetur, odiis Junonis iniquæ,  
Nota tibi; et nostro doluisti sæpe dolore.  
Hunc Phænissa tenet Dido, blandisque moratur  
Vocibus; et vereor, quò se Junonia vertant  
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.  
Quocirca capere ante dolis, et cingere flamâ  
Reginam meditor; ne quo se numine mutet:  
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.  
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem:  
Regius accitu cari genitoris ad urbem  
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,  
Dona ferens, pelago et flammis restantia Trojæ:  
Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,  
Aut super Idalium, sacratâ sede recondam:  
Ne quâ scire dolos, mediusve occurrere possit;  
Tu faciem illius noctem non amplius unam  
Falle dolo, et notos pueri puer indue vultus:  
Ut, quum te gremio accipiet lætissima Dido,  
Regales inter mensas laticemque Lyæum,  
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,  
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.  
Paret Amor dictis caræ genitricis, et alas  
Exuit, et gressu gaudens incendit Iuli.  
At Venus Ascanio placidam per membra quietem  
Irrigat, et fotum gremio dea tollit in altos  
Idaliæ lucos: ubi mollis amaracus illum  
Floribus et dulci adspirans complectitur umbrâ.  
Jamque ibat, dicto parens, et dona Cupido



Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.  
Quum venit, aulæis jam se regina superbis  
Aureâ composuit spondâ mediamque locavit.

IX.

Descripcion del espléndido banquete que Dido da á Eneas y á los capitanes troyanos, y en el que pide al héroe le refiera la historia de sus viajes y aventuras.

Jam pater Æneas, jam Trojana juvenus  
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.  
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris  
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.  
Quinquaginta intus famulæ: quibus ordine longo  
Cura penum struere, et flammis adolere Penates.  
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,  
Qui dapibus mensas onerant, et pocula ponunt.  
Necnon et Tyrii per limina læta frequentes  
Convenère, toris jussi discumbere pictis.

Mirantur dona Æneæ; mirantur Iulum,  
Flagrantesque dei vultus, simulataque verba,  
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.  
Præcipuè infelix, pesti devota futuræ,  
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo  
Phænissa, et puero pariter donisque movetur.  
Ille, ubi complexu Æneæ colloque pependit,  
Et magnum falsi implevit genitoris amorem;  
Reginam petit. Hæc oculis, hæc pectore toto  
Hæret; et interdum gremio fovet; inscia Dido,  
Insidiat quantus miseræ deus. At memor ille  
Matris Acidaliæ, paullatim abolere Sychæum  
Incipit, et vivo tentat prævertere amore  
Jam pridem resides animos desuetaque corda.  
Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ;

Crateras magnos statuunt, et vina coronant.  
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant  
Atria; dependent lychni laquearibus aureis  
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.  
Hic regina gravem gemmis, auroque poposcit,  
Implevitque mero pateram, quam Belus, et omnes  
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis:  
Jupiter hospitibus nam te dare jura loquuntur,  
Hunc lætum Tyriisque diem, Trojâque profectis  
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.  
Adsit lætitiæ Bacchus dator, et bona Juno.  
Et vos, o, cœtum, Tyrii, celebrate faventes.

Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,  
Primaque, libato, summo tenus attigit ore.  
Tum Bitiæ dedit increpitans; ille impiger hausit  
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.  
Post alii proceres: citharâ crinitus Iopas  
Personat auratâ, docuit quæ maximus Atlas.  
Hic canit errantem lunam, solisque labores;  
Unde hominum genus, et pecudes; unde imber, et ignes;  
Areturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones;  
Quid tantum Oceano properent se tingere soles  
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.  
Ingeminant plausum Tyrii, Troësque sequuntur,  
Necnon et vario noctem sermone trahebat  
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;  
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:  
Nunc, quibus Auroræ venisset filius armis;  
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.  
Immò age, et à prima, dic, hospes, origine nobis  
Insidias, inquit, Danaûm, casusque tuorum,  
Erroresque tuos: nam te jam septima portat  
Omnibus errantem terris et fluctibus æstas.

COMEDIA LATINA.

PLAUTO.

CAPTIVI.

DRAMATIS PERSONÆ.

HEGIO, senex.

PHILOPOLEMUS, filius major Hegionis.

PHILOCRATES, juvenis Eleus, bello captus.

TYNDARUS, Philocratis nunc servus, tamen ingenuus,  
filius Hegionis natu minor, primo nomine Pægnium  
(vid. V. 3, 7).

ARISTOPHONTES, juvenis Eleus, amicus Philocratis,  
bello quoque captus.

ERGASILUS, parasitus olim Philopolemi.

STALAGMUS, servus Hegionis, olim fugitivus.

LORARIUS, Hegionis.

PUER, Hegionis.

CÆTERI SERVI.

Res agitur Calydoni in Ætolia.

ARGUMENTUM

(UT QUIBUSDAM VIDETUR).

PRISCIANI.

CAPTUS in pugna Hegionis filius.

Alium quadrimum fugiens servos vendidit.

Pater captivos commercatur Alios,  
Tantum studens, uti natum recuperet.  
Et inibus emit olim amissum filium.  
Is suo cum domino veste versa ac nomine  
Vt amittatur fecit: ipsus plectitur.  
Et is reduxit captum et fugitivom simul  
Indicio quojus alium agnoscit filium.

PROLOGUS.

Hos quos videtis stare heic captivos duos,  
Illei qui adstant, hi stant ambo, non sedent.  
Vos vos mihi testeis estis me verum loqui  
Senex qui heic habitat, Hegio est hujus pater.  
Sed is quo pacto serviat suo sibi patri,  
Id ego heic apud vos proloquar, si operam datis.  
Seni huic fuerunt filii nati duo,  
Alterum quadrimum puerum servos surrupit,  
Eumque hinc profugiens vendidit in Alide  
Hujusce patri; jam hoc tenetis? optimum est.  
Negat, hercle, ille ultimus: adcedito!  
Si non, ubi sedeas, locus est, est, ubi ambules,  
Quando histrionem cogis mendicariet.  
Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum;  
Vos, qui potestis ope vostra censerier,  
Accipite reliquom; alieno uti nihil moror.  
Fugitivos ille, ut dixeram ante, hujus patri,  
Domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit.  
Hic postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo  
Peculiarem, quia quasi una aetas erat.  
Hic nunc domi servit suo patri, nec scit pater.  
Enimvero di nos quasi pilas, homines habent.

Rationem habetis, quomodo unum amiserit.  
Postquam belligerant *Ætoli* cum *Aliis*,  
Ut fit in bello, capitur alter filius.  
Medicus *Menarchus* emit ibidem in *Alide*.  
Cœpit captivos conmercari hic *Alios*,  
Si quem reperire posset, quo mutet suum  
Illum captivom: hunc suum esse nescit, qui domi 'st.  
Et quoniam heri inde audivit, de summo loco  
Summoque genere captum esse equitem *Alium*,  
Nil pretio parsit, filio dum parceret;  
Reconciliare ut facilius posset domum,  
Emit hosce de præda ambos de *Quæstoribus*.  
Hicce autem inter sese hunc confinxerunt dolum,  
Quo pacto hic servos suum herum hinc amittat domum:  
Itaque inter se conmutant vestem et nomina.  
Illic vocatur *Philocrates*, hic *Tyndarus*.  
Hujus illic, hic illius hodie fert imaginem.  
Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam,  
Et suum herum faciet libertatis conpotem.  
Eodemque pacto fratrem servabit suum,  
Reducemque faciet liberum in patriam ad patrem,  
Imprudens: itidem ut sæpe jam in multis locis  
Plus insciens quis fecit, quam prudens boni.  
Sed inscientes sua sibi fallacia  
Ita comparârunt et confinxerunt dolum:  
Itaque hi connepti de sua sententia,  
Ut in servitute hic ad suum maneat patrem:  
Ita nunc ignorans suo sibi servit patri.  
Homunculi quanti sunt, quom recogito!  
Hæc res agetur nobis, vobis fabula.  
Sed etiam 'st, paucis vos quod monitos voluerim.  
Profecto expediet, fabulæ huic operam dare.  
Non pertractare facta est, neque item ut ceteræ;

Neque spurcidici insunt versus inmemorableis;  
Heic neque perjurus leno est, nec meretrix mala  
Neque miles gloriosus. Ne vereamini,  
Quia bellum *Ætolis* esse dixi cum *Aliis*.  
Foris illeic extra scenam fient prœlia.  
Nam hoc pœne iniquom st, comico choragio  
Conari de subito nos agere tragœdiam.  
Proin, si quis pugnam exspectat, liteis contrahat;  
Valentio rem nactus adversarium  
Si erit, ego faciam ut pugnam inspectet non bonam.  
Adeo ut spectare postea omneis oderit.  
Abeo. Valetè, iudices justissimi,  
Domi duellique duellatores optumi.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

ERGASILUS

Juventus nomen indidit scorto mihi,  
Eo quia invocatus soleo esse in convivio.  
Scio absurde dictum hoc derisores dicere,  
At ego aio recte; nam in convivio sibi  
Amator, talos quom jactit, scortum invocat.  
Estne invocatum, an non? est planissime.  
Verum, hercle, verum nos parasiti planius,  
Quos numquam quisquam neque vocat, neque invocat;  
Quasi mures semper edimus alienum cibum.  
Ubi res prolatae sunt, quom rus homines eunt,  
Simul prolatae res sunt nostris dentibus.  
Quasi, quom caletur, cochleae in obsculto latent,  
Suo sibi succo vivunt, ros si non cadit:

Item parasi rebus prolatis latent  
In obsculto, miseri victitant succo suo,  
Dum ruri rurant homines, quos liguriant.  
Prolatis rebus parasi venatici  
Sumus: quando res redierunt, molossici  
Odiosicique et multum incommodistici.  
Et hic quidem, hercle, nisi qui colaphos perpeti  
Potis parasitus, frangique aulas in caput  
Vel extra portam trigeminam ad saceum ilicet.  
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum 'st.  
Nam postquam meus rex est potitus hostium,  
Ita nunc belligerant Ætoli cum Aliis;  
Nam Ætolia hæc est: illeic captu 'st in Alide  
Philopolemus, hujus Hegionis filius  
Senis, qui heic habitat: quæ ædeis lamentaria  
Mihi sunt, quas quotiescumque conspicio, fleo.  
Nunc hic obcepit quæstum hunc fili gratia  
Inhonestum, maxume alienum ingenio suo.  
Homines captivos conmercat, si queat  
Aliquem invenire, suum qui mutet filium.  
Nunc ad eum pergam: sed aperitur ostium,  
Unde saturitate sæpe ego exii ebrius.

SCENA SECUNDA.

HEGIO, LORARIUS, ERGASILUS.

HEGIO.

Advorte animum, sis, tu: istos captivos duos,  
Here quos emi de præda, de quæstoribus,  
His indito catenas singularias;  
Istas majores, quibus sunt vineti, demito,  
Sinito ambulare, si foris, si intus volent;

Sed uti adserventur magna diligentia.  
Liber captivos avis fera consimilis est:  
Semel fugiendi si data 'st obcasio,  
Satis est: numquam postilla possis prendere.

LORARIUS.

Omneis profecto liberi lubentius  
Sumus, quam servimus.

HEGIO.

Non videre ita tu quidem.

LORARIUS.

Si non est quod dem, mene vis dem ipse in pedes?

HEGIO.

Si dederis, erit extemplo mihi, quod dem tibi.

LORARIUS.

Avis me fera consimilem faciam, ut prædicas.

HEGIO.

Ita, ut dicis: nam si faxis, te in caveam dabo.  
Sed satis verborum 'st: cura, quæ jussi, atque abi,

ERGASILUS.

Quod ego quidem nimis quam cupio, ut inpetret;  
Nam ni ullum recipit, nihil est, quo me recipiam.



Nulla juventutis est spes: sese omnes amant.  
Illa demum antiquis est adulescens moribus;  
Quojus numquam voltum tranquillavi gratiis  
Condique est pater ejus moratus moribus;

HEGIO.

Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos;  
Visam ne nocte hac quidpiam turbaverint.  
Inde me continuo recipiam rursus domum.

ERGASILUS.

Ægre 'st mihi, hunc facere quæstum carcerarium,  
Propter sui gnati miseriam, miserum senem.  
Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest,  
Vel carnificinam hunc facere possum perpeti.

HEGIO.

Quis heic loquitur?

ERGASILUS.

Ergo, qui tuo mœrore maceror,  
Macesco, consenesco, et tabesco miser.  
Ossa atque pellis sum miser a macritudine.  
Neque unquam quidquam me juvat, quod edo domi:  
Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat.

HEGIO.

Ergasile, salve.

ERGASILUS.

Di te bene ament, Hegio.

HEGIO.

Ne fle.

ERGASILUS.

Egon'illum non fleam? egon'non defleam

Talem adolescentem?

HEGIO.

Semper sensi, filio

Meo te esse amicum, et illum intellexi tibi.

ERGASILUS.

Tum denique homines nostra intellegimus bona,

Quom, quæ in potestate habuimus, ea amisimus.

Ego, postquam gnatus tuus potitu' st hostium,

Expertus quanti fuerit: nunc desidero.

HEGIO.

Alienus quom ejus incommodum tam ægre feras,  
Quid me patrem par facere 'st, quoi ille 'st unicus?

ERGASILUS.

Alienus ego? alienus ille? ah, Hegio!

Nunquam istuc dixis, neque animum induxis tuum.

Tibi ille unicu' st, mihi etiam unico magis unicus.

HEGIO.

Laudo, malum quom amici tuum ducis malum.

Nunc habe bonum animum.

ERGASILUS.

Eheu! huic illud dolet

Quia nunc remissus est edendi exercitus.

HEGIO.

Nullumne interea nactus, qui posset tibi  
Remissum quem dixti, imperare exercitum?

ERGASILUS.

Quid credis! fugitant omneis hanc provinciam,  
Quoi obtigerat, postquam captu 'st Philopolemus tuus.

HEGIO.

Non, pol, mirandum 'st, fugitare hanc provinciam.  
Multis et multigeneribus opus est tibi  
Militibus. Primumdum opus est Pistoriensibus:  
Eorum sunt genera aliquot Pistoriensium  
Opus Paniceis, opus Placentinis quoque,  
Opus Turdetanis, opus est Ficedulensibus.  
Jam maritumi omneis milites opus sunt tibi.

ERGASILUS.

Ut saepe summa ingenia in obscuro latent!  
Hic qualis imperator nunc privatus est!

HEGIO.

Habe modo bonum animum: nam illum confido domum  
In his diebus me reconciliassere.

Nam eccum heic captivom adolescentem habeo Alium,  
Prognatum genere summo, et summis divitiis:  
Hoc illum me mutare confido fore.

ERGASILUS.

Ita dī deæque faxint.

HEGIO.

Sed num quo foras.

Vocatus est ad cœnam?

ERGASILUS.

Nusquam, quod sciam.

Sed quid tu id quæris?

HEGIO.

Quia mi'st natalis dies;

Propterea te vocarier ad cœnam volo.

ERGASILUS.

Facete dictum.

HEGIO.

Sed si pauxillum potes

Contentus esse.

ERGASILUS.

Næ perpauxillum modo:

Nam istoc me assiduo victu delecto domi.

HEGIO.

Age, sis, rogo.

ERGASILUS.

Emtum, nisi qui meliorem adferet,  
Quæ mi atque amicis placeat conditio magis:  
Quasi fundum vendam, meis me addicam legibus.

HEGIO.

Profundum vendis tu quidem, haud fundum mihi;  
Sed si venturus, tempori.

ERGASILUS.

Hem! vel jam otium 'st.

HEGIO.

I modo, venare leporem; nunc herem tenes.  
Nam meus scruposam victus conmetat viam.

ERGASILUS.

Nunquam istoc vinces me, Hegio, ne postules;  
Cum calceatis dentibus veniam tamen.

HEGIO.

Asper meus victus sane 'st.

ERGASILUS.

Senteisne esitas?

HEGIO.

Terrestris cœna 'st.

ERGASILUS.

Sus, terrestris bestia 'st.

HEGIO.

Multis oleribus.

ERGASILUS.

Curato agrotos domi

Numquid vis?

HEGIO.

Venias tempori.

ERGASILUS.

Memorem mones.

HEGIO.

Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam,  
Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.

Ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.

ERGASILUS.

HEGIO.

TERENCIO.

HEAUTONTIMORUMENOS.

DRAMATIS PERSONÆ.

- CHREMES, senex, pater Clitiphonis.  
CLITIPHO, adolescens, filius Chremetis.  
CYRUS, Pædagogus Clitiphonis.  
MENEDEMUS, senex Clinia pater. Hic est Heautonti-  
morumenos.  
SLINIA, adolescens, Menedemi filius.  
DROMO, servus Menedemi.  
SOSTRATA, Chremetis uxor.  
BACCHIS.  
ANTIPHILA, virgo, Clinia amica.  
PHRYGIA, ancilla.  
NUTRIX.

PERSONÆ MUTÆ.

- ARCHONIDES, senex.  
CRITO, senex.  
PHANIA, senex.  
PHANOCRATES, senex.  
PHILTERA, femina anus.  
SIMUS, senex.

Scena est in pago suburbano, prope Athenas.

C. SULPITII APPOLLINARIS PERIOCHA,

IN TERENTII HEAUTONTIMORUMENON.

In militiam proficisci gnatum Cliniam.  
Amantem Antiphilam, compulit durus pater:  
Animique sese angebat, facti pœnitens.  
Mox, ut reversus est, clam patre divortitur  
Ad Clitiphonem. Is amabat scortum Bacchidem.  
Quum accesseret cupitam Antiphilam Clinia,  
Ut ejus Bacchis venit amica, ac servulæ  
Habitum gerens Antiphila, factum id, quo patrem  
Suum celaret Clitipho. Hic technis Syri  
Decem minas meretriculæ aufert a sene.  
Antiphila Clitiphonis reperitur soror,  
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

PROLOGUS.

Ne cui sit vestrum mirum, cur partes seni  
Poeta dederit, quæ sunt adolescentium,  
Id primum dicam; deinde, quod veni, eloquar.  
Ex integra Græca integram comœdiam  
Hodie sum acturus, Heautontimorumenon:  
Simplex quæ ex argumento facta est duplici.  
Novam esse ostendi, et quæ esset; nunc qui scripserit,  
Et cuja Græca sit, ni partem maxumam  
Existimarem scire vestrum, id dicerem.  
Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.  
Oratorem esse voluit me, non prologum;  
Vestrum judicium fecit, me actorem dedit.  
Sed hic actor tantum poterit a facundia,



Quantum ille potuit cogitare commode,  
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.  
Nam quod rumores distulerunt malevoli,  
Multas contaminasse Græcas, dum facit  
Paucas Latinas, id esse factum hic non negat,  
Neque se id pigere, et deinde facturum autumat.  
Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi  
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.  
Tum quod malevolus vetus poeta dictitat,  
Repente ad studium hunc se applicasse musicum,  
Amicum ingenio fretum, haud natura sua,  
Arbitrium vestrum, vestra existimatio  
Velebit. Quare, omnes vos orato volo,  
Ne plus iniquum possit, quam æquum oratio.  
Facite æqui sitis; date crescendi copiam,  
Novarum qui spectandi faciunt copiam  
Sine vitiiis; ne ille pro se dictum existimet,  
Qui nuper fecit servo currenti in via  
Decesse populum. Cur in sano serviat?  
De illis peccatis plura dicet, quum dabit  
Alias novas, nisi finem maledictis facit.  
Adeste æquo animo; date potestatem mihi  
Statariam agere ut liceat per silentium,  
Ne semper servus currens, iratus senex,  
Edax parasitus, sycophanta autem impudens,  
Avarus leno, assidue agendi sint mihi  
Clamore summo, cum labore maximo.  
Mea causa causam hanc justam esse animum inducite,  
Ut aliqua pars laboris minuatur mihi.  
Nam nunc novas qui scribunt, nil parcunt seni.  
Si qua laboriosa est, ad me curritur;  
Sin lenis est, ad alium defertur gregem.  
In hac est pura oratio. Experimini,

In utramque partem ingenium quid possit meum,  
Si nunquam avare pretium statui arti meae,  
Et eum esse quæstum in animum induxi maximum,  
Quam maxime servire vestris commodis;  
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli  
Vobis placere studeant potius quam sibi.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

CHREMES, MENEDEMUS.

CHREMES.

Quamquam hæc inter nos nupè notitia admodum 'st,  
Inde adeo quod agrum in proxumo hic mercatus es,  
Nec rei fere sane amplius quidquam fuit;  
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,  
Quod ego in propinqua parte amicitia puto,  
Facit, ut te audacter moneam, et familiariter,  
Quod mihi videre præter ætatem tuam  
Facere, et præter quam res te adhortatur tua.  
Nam, pro deum atque hominum fidem! quid vis tibi?  
Quid quæris? Annos sexaginta natus es,  
Aut plus, ut conjicio. Agrum in his regionibus  
Meliolem neque preti majoris nemo habet;  
Servos complures: proinde, quasi nemo siet,  
Ita tute attente illorum officia fungere.  
Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperum  
Domum revortor, qui te in fundo conspicer  
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique  
Nullum remittis tempus, neque te respicis.

Hæc non voluptati tibi esse, satis certo scio.  
At enim, dices, Me, quantum hic operis fiat, poenitet.  
Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,  
Si sumas in illis exercendis, plus agas.

MENEDEMUS.

Chreme, tantumne est ab re tua 'st otti tibi,  
Aliena ut cures, ea quæ nihil ad te adtinent?

CHREMES.

Homo sum: humani nihil à me alienum puto.  
Vel me monere hoc, vel percontari puta.  
Rectum 'st, ego ut faciam; non est, te ut deterream.

MENEDEMUS.

Mihi sic est usus; tibi ut opus facto 'st, face.

CHREMES.

An cuiquam est usus homini, se ut cruciet?

MENEDEMUS.

Mihi.

CHREMES.

Si quid laboris est, nollem; sed quid istuc mali est?  
Quæso, quid de te tantum meruisti?

MENEDEMUS.

Oi, ei!

CHREMES.

Ne lacrima: atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam.  
Ne retice, ne verere; crede, inquam, mihi,  
Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.

MENEDEMUS.

Scire hoc vis?

CHREMES.

Hac quidem causa, qua, dixi tibi.

MENEDEMUS.

Dicetur.

CHREMES.

At istos rastros interea tamem  
Adpone, ne labora.

MENEDEMUS.

Minime.

CHREMES.

Quam rem agis?

MENEDEMUS.

Sine me, vacivum tempus ne quod dem mihi  
Laboris.

CHREMES.

Non sinam, inquam.

MENEDEMUS.

Ah, non æquum facis.

CHREMES.

Hui! tan graves hos, quæso?

MENEDEMUS.

Sic meritum 'st meum.

CHREMES.

Nunc loquere.

MENEDEMUS.

Filium unicum adolescentulum

Habeo. Ah, quid dixi, habere me! Immò habui, Chreme.

Nunc habeam, nec ne, incertum 'st.

CHREMES.

Quid ita istuc?

MENEDEMUS.

Scies,

Est e Corintho hic advena anus paupercola:

Ejus filiam ille amare cœpit virginem,

Propè jam ut pro uxore haberet. Hæc clam me omnia.

Uhi rem rescivi, cœpi non humanitus,

Neque ut animum decuit ægotum adolescentuli,

Tractare, sed vi, et viâ prevulgatâ patrum.

Quotidie accusabam: «Hem, tibtine hæc diutius

»Licere speras facere, me vivo patre,

»Amicam ut habeas propre jam in uxoris loco?

»Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia.  
»Ego, te meum esse dici tantisper volo,  
»Dum, quod te dignum 'st, facies; sed si id non facis,  
»Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.  
»Nulla adeo ex re istuc fit, nisinimio ex otio.  
»Ego, istuc ætatis, non amori operam dabam;  
»Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem, atque ibi  
»Simul rem et belli gloriam armis repperi.»  
Postremo adeo res rediit: adolescentulus  
Sæpe eadem et graviter audiendo victus est.  
Putavit me et ætate et benevolentia  
Plus scire et providere, quam se ipsum, sibi:  
In Asiam ad regem militatam abiit, Chreme.

CHREMES.

Quid ais?

MENEDEMUS.

Clam me est profectus; menses tres abest.

CHREMES.

Ambo accusandi; etsi illud inceptum tamen  
Animi est pudentis signum, et non instrenui.

MENEDEMUS.

Ubi comperi ex iis, qui fuere ei conscii,  
Domum revertor mœstus, atque animo fere  
Conturbato atque incerto præ ægritudine.  
Adsido. Adcurrunt servi, soccos detrahunt,  
Video alios festinare, lectos sternere,  
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo

Faciebant, quo illam mihi lenirent miseriam.  
Ubi video hæc, cœpi cogitare: «Hem, tot mea  
»Solius solliciti sunt causa, et me unum expleant?  
»Ancillæ tot me vestiant? Sumptus domi  
»Tantos ego solus faciam? Sed gnatum unicum,  
»Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,  
»Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea 'st,  
»Eum ego hinc eieci miserum injustitia mea.  
»Malo quidem me dignum quovis deputem,  
»Si id faciam. Nam usque dum ille vitam illam colet  
»Inopem, carens patria ob meas injurias,  
»Interea usque illi de me supplicium dabo,  
»Laborans, quærens, parcens, illi serviens.»  
Ita facio prorsus: nihil relinquo in ædibus,  
Nec vas, nec vestimentum: conrasi omnia;  
Ancillas, servos nisi eos, qui opere rustico  
Faciundo, facilè sumptum exercerent suum,  
Omnes produxi ac vendidi; inseripsi illico  
Ædes mercede; quasi talenta ad quindecim  
Cœgi; agrum hunc mercatus sum; hic me exerceo.  
Decrevi, tantisper me minus injuriæ,  
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser  
Nec fas esse, ulla me voluptate hic frui,  
Nisi ubi ille huc salvus redierit meus particeps.

CHREMES.

Ingenio te esse in liberos leni puto,  
Et illum obsequentem, si quis recte aut commode  
Tractaret. Verum neque illum tu satis noveras,  
Nec te ille; hoc quod fit, ubi non vere vivitur.  
Tu illum, nunquam ostendisti, quanti penderes,  
Nec tibi ille 'st credere ausus, quæ est æquum patri.  
Quod si esset factum, hæc nunquam evenissent tibi.

MENEDEMUS.

Ita res est, fateor: peccatum à me maxumum 'st.

CHREMES.

Menedeme, at porro recte spero, et illum tibi  
Salvum adfuturum esse hic confido propediem.

MENEDEMUS.

Utinam Di ita faxint!

CHREMES.

Facient. Nunc, si commodum est,  
Dionysia hic sunt hodie: apud me sis volo.

MENEDEMUS.

Non possum.

CHREMES.

Cur non? Quæso, tandem aliquantulum  
Tibi parce. Idem absens facere te hoc volt filius.

MENEDEMUS.

Non convenit, qui illum ab laborem impulerim,  
Nunc me ipsum fugere.

CHREMES.

Siccine est sententia?



MENEDEMUS.

Sic.

CHREMES.

Bene vale.

MENEDEMUS.

Et tu.

**SCENA SECUNDA.**

CHREMES.

Lacrimas excussit mihi.

Miseretque me ejus. Sed ut diei tempus est,  
Monere oportet me hunc vicinum Phanium,  
Ad cœnam ut veniat; ibo ut visam, si domi est.  
Nihil opus fuit monitore: jam dudum domi  
Præsto apud me esse aiunt; egomet convivas moror.  
Ibo adeo hinc intro. Sed quid crepuerunt fores  
Hinc? A me quisnam egreditur? Huc concessero.

**SCENA TERTIA.**

CLITIPHO, CRHEMES.

CLITIPHO.

Nihil adhuc est, quod vereare, Clinia: haudquaquam  
etiam cessant,  
Et illam simul cum nuntio tibi hic ego adfuturam ho-  
die scio.  
Proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te excru-  
ciat, mittas.

CHREMES.

Quicum loquitur filius?

CLITIPHO.

Pater adest, quem volui. Adibo. Pater, opportune  
advenis.

CHREMES.

Quid id est?

CLITIPHO.

Hunc Menedemum nostin' nostrum vicinum?

CHREMES.

Probè.

CLITIPHO.

Huic filium scis esse?

CHREMES.

Audivi esse in Asia.

CLITIPHO.

Non est, pater;

Apud nos est.

CHREMES.

Quid ais?

CLITIPHO.

Advenientem, è navi egredien-

tem illico

Abduxi ad cœnam: nam mihi magna cum eo jam inde  
usque à pueritia.

Fuit semper familiaritas.

CHREMES.

Voluptatem magnam nuncias.  
Quam vellem Menedemum invitatum, ut nobiscum es-  
set hodie, amplius:

Ut hanc lætitiã nec opinanti primus objicerem ei  
domi.

Atque etiam nunc tempus est.

CLITIPHO.

Cave faxis; non est opus,  
pater.

CHREMES.

Quapropter?

CLITIPHO.

Quia enim incertum est etiam, quid se fa-  
ciat; modò venit;

Timet omnia, patris iram, et animum amicæ se erga  
ut sit suæ.

Eam misere amat; propter eam hæc turba atque abitio  
evenit.

CHREMES.

Scio.

CLITIPHO.

Nunc servolum ad eam in urbem misit, es ego no-  
strum una Syrum.

CHREMES.

Quid narrat?

CLITIPHO.

Quid ille? Miserum se esse.

CHREMES.

Miserum? Quem minùs credere'st?  
Quid reliqui 'st, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona?

Parenteis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.

Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:

Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.

CLITIPHO.

Immo ille fuit senex importunus semper; et nunc nil magis.

Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater,

CHREMES.

Illene? Sed reprimam me: nam in metu esse hunc, illi est utile.

CLITIPHO.

Quid tute tecum?

CHREMES.

Dicam: ut ut erat, mansum tamen oportuit.  
Fortasse aliquantum iniquior erat præter ejus lubidinem;

Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum?

Huncceine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere?

Et quod illum insimulant durum; id non est: nam parentum injuriæ

Uniusmodi sunt ferme. Paulo qui est homo tolerabilis, Scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivariæ, Præbent exigue sumptum; atque hæc sunt tamen ad virtutem omnia.

Verum ubi animus semel se cupiditate devinxit mala, Necessè est, Clitipho, consilia consequi consimilia.

Hoc Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.

CLITIPHO.

Ita credo.

CHREMES.

Ego ibo hinc intro, ut videam nobis cœne quid siet.  
Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quò hinc abeas longiùs.

SCENA QUARTA.

CLITIPHO.

Quam iniqui sunt patres in omnes adolescentes judices!

Qui æquum esse censent, nos jam à pueris illico nasci senes;

Neque illarum adfines esse rerum, quas fert adolescentia.

Ex sua lubricine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit.

Mihi si unquam filius erit, nã ille facili me utetur  
patre.

Nam etsi cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati  
locas;

Non ut meus, qui mihi per alium ostendit suam sen-  
tentiam.

Peril! is mi, ubi adbibit plus paulo, sua quã narrat  
facinora!

Nunc ait: «Periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu  
siet.»

Astutus! nã ille haud scit, quam mihi nunc surdo nar-  
ret fabulam.

Magis nunc me amica dicta stimulant: «Da mihi, at-  
que, adfer mihi.»

Cui quod respondeam, nihil habeo: neque me quis-  
quam est miserior.

Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum sat agit,  
attamen

Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis mere-  
tricia.

Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis.

Tum quod dem ei..... recte est: nam nihil esse mihi,  
religio 'st dicere.

Hoc ego mali nom pridem invenì, neque etiam dum  
scit pater.

## APÉNDICE.

### Exposición de las palabras y frases difíciles, contenidas en el texto.

#### TEMA PRIMERO.

*Detulit ad te crimen novum et inauditum:* te ha delatado un crimen nuevo é inaudito. Ironía.

*Ausus est confiteri id:* ha tenido valor para confirmar lo mismo. Q. Tuberon era pariente de Ciceron. C. Pansa fué cónsul dos años despues.

*Nescio quò vertum me:* no sé de qué argumentos valerme para la defensa de esta causa. Ironía.

*Ut abuterer:* para servirme de tu ignorancia en obsequio de un desgraciado.

*Ut id jam non esset integrum:* que sea ya imposible negar el delito.

*Omissaque controversia:* y sin detenerme á probar si Ligario estuvo en Africa, ó no.

*Habes igitur:* Tiene ya, Tuberon, cuanto puede apetecer el que acusa: un reo confeso. Apóstrofe.

*Fuisse in ea parte:* siguió como tú, el mismo partido de Pompeyo.

#### TEMA 2.º

*Profectus est legatus:* salió como teniente de Considio nombrado gobernador de Africa.

*Et civibus et sociis.* Polisindeton.

*Probatum se ita, ut.....* se portó tan bien que.....

*Si profecisset provincie quemquam alium:* si confiara á otro el gobierno.

*Quum recusans diu nihil profecisset:* viendo que de nada le servia rehusar mucho el gobierno de Africa.

*Bellum exarsit subito*: estalló al punto la guerra entre César y Pompeyo. Metáfora.

